DE XENOPHONTIS CYRI INSTITVTIONE

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN ACADEMIA ALBERTA LVDOVICIANA
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

GVILELMVS PRINZ
MOENOFRANCOFVRTENSIS

GOTTINGAE
OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT
MCMXI

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Ed. Schwartz.

Examen rigorosum habitum est a. d. III. Kal. Aug. a. MCMX.

PARENTIBVS

S.

PROOEMIUM

Quaerentibus, quibus causis Xenophon adductus sit, ut opus illud de disciplina expeditionibus moribus Cyri Maioris conscriberet, magnam minus inter scriptores veteres quam inter nostrae aetatis viros doctos esse controversiam statim apparebit. Sunt enim, qui Xenophontem hoc libro scribendo id tantum egisse dicant, ut Cyri Maioris primi regis Persarum vitam, qualis re vera fuisset, enarraret, additis sane omnibus illis orationum ornamentis, quibus veteres rerum scriptores viros sive laude bellica sive civilibus virtutibus florentes id, quod quaque condicione eos dixisse veri dissimile non sit, re vera dicentes faciant. Adversantur huic opinioni ii, qui tantum abesse censeant, ut Xenophon veram historiam memoriae prodere studuerit, ut Cyri rebus gestis quasi fundamento usus omnia superstruxerit praecepta, quibus propositis Graecos se meliores facere posse sibi persuaserit; quam ob rem non solum e Socratis disciplina permulta eum proferre, sed etiam depingere, quibus artibus imperatori ad milites coercendos, ad victoriam reportandam exercitui, regi ad regnum servandum opus sit, atque virum omnibus virtutibus, quas proprias esse putaverit *ἀνδρὸς καλοῦ κἀγαθοῦ*, praeditum et exornatum imitandum suis proponere. Quarum sententiarum postquam illam ultimus, quantum video, Breitenbachius mira quadam cum constantia defendit, viri docti,

quamquam quatenus Cyrupaedia pro tertio fonte, ut ita dicam, historiae Cyri habenda sit praeter Herodotum et Ctesiam, inter eos non convenit, tamen Xenophontem fabulam suo arbitrio sibi formasse omnes censent verum rerum eventum diligenter severeque minime secutum. Atque mihi quidem saepenumero de Cyri institutione cogitanti, etsi hanc virorum doctorum opinionem testimoniis non iam egere persuasum habeo, tamen omnia, quaecumque utilia sunt ad Cyrupaediae fabulam recte intellegendam, nondum prolata videntur esse. Quam ad rem ut paululum conferam, quinque capitibus denuo disputare liceat de Cyri institutione: uno, quod est de optima forma rei publicae in Cyrupaedia expressa, altero, quo Xenophontem in fabula fingenda bellum, quale suis temporibus Graecos cum barbaris gerere desiderabat, spectavisse exponam, tertio, quod docebit, qua ratione sua ipsius vita et peritia ille usus sit, ut magnam illam pugnam inter Cyrum et Babylonios commissam narraret; quibus rebus expositis cum Cyrupaediam fabulam esse neminem negaturum confidam, ut id quoque attingamus, quae bene aut male successerint scriptori in narratione fingenda, quarto de Panthea Abradatae uxore uberius disputabo, postremo, quia fieri non posse videtur, quin is, qui quaestionem denuo moveat de Cyri institutione, etiam de epilogo agat, breviter perstringam, quid sentiam de Cyrupaediae capite extremo.

CAPUT PRIMUM

XENOPHONTEM PERSARUM CIVITATE DESCRIBENDA OPTIMAM REI PUBLICAE FORMAM EXPRIMERE STUDUISSE

Atque primum quidem quod Xenophon, quippe qui omnibus in libris Graecos docere melioresque facere studuerit, de optima quoque forma rei publicae liberisque ita educandis, ut adulti patriae quam plurimum prodessent, in Cyri institutione agit suae aetatis studium curasque secutus, nemo est, qui miretur. Qua in civitate explananda tantum aberat, ut ille ex suae patriae legibus atque institutis quidquam mutuaretur, ut de moribus Atheniensium, cum neminem eorum magistratibus obtemperantem (Cyr. VIII, 1, 2; RL. VIII, 2), idem ius sententiam dicendi (*ἰσηγορίαν*; cf. Cyr. I, 3, 10) atque res publicas administrandi sibi vindicantes omnes videret, vel contemptim loqueretur. Moleste enim tunc nobilissimus quisque Atheniensis ferebat, quod non ipsi principem in re publica locum obtinebant, sed rusticus quilibet in negotiis publicis versabatur, quin etiam summos honores sortiri poterat (Mem. I, 2, 9). Quam ob rem cum civitatem in pestem et perniciem incidisse non deessent qui putarent, cum alii tum Socrates a Lacedaemoniorum moribus institutisque salutem petendam censebant; nam cum Lacedaemone vetus morum et disciplinae severitas etiam tunc extaret, unus quisque obtemperaret legibus, maiores natu vereretur, corpus exerceret (cf. Mem. III, 5, 15--16; IV, 4, 15; RL. X, 2), Lacedaemonios totius Graeciae potentissimos esse factos (RL. I, 1), pro optimis ducibus belli haberi (Symp. VIII, 39), ab

omnibus propter morum integritatem laudari (RL. X, 8). Sed ut Lacedaemonii parce ac duriter vitam agendo totius Graeciae dominatum obtinuerant, ita eos, postquam imperio potiti sunt, non solum impios in deos, in homines iniustos sese praebuisse, sed etiam propter sua ipsorum vitia dominatu rursus privatos esse ne ii quidem negare poterant, qui quamvis magna eorum admiratione capti essent. Quam ob rem quia is, qui optimam rei publicae formam describendam sibi proposuisset, secum considerare debebat, quomodo haec Lacedaemoniorum vitia vitari possent, Xenophon Persas suos non magis Lacedaemoniorum educatione uti quam praeceptis similibus Socratis disciplinae penitus imbui narrat. Quarum radicum, ut ita dicam, optimae formae civitatis a Xenophonte expressae de utraque deinceps mihi agendum est.

Atque ut primum ea, quibus Lacedaemoniorum ac Persarum civitates inter se consentiant, afferam, omnes Persae similiter ac Spartiatae educandi causa divisi sunt in partes quattuor aetate distinctas (Cyr. I, 2, 4. 15; RL. II—IV), unam puerorum, alteram adolescentium, tertiam virorum, quartam provectiorum aetate. Quibus classibus remotis a strepitu ac mercaturis forensibus (Cyr. I, 2, 3; cf. Plut. Lyc. 25) optimi cives quasi publici praeceptores praesunt (Cyr. I, 2, 5; RL. II, 2), qui curant, ut mane in suum quisque ordinem veniat; adolescentium autem cum maxima pars etiam dormiat in „foro libero“, ii, qui uxorem duxerunt, cum absunt, non desiderantur, sed saepius abesse turpe putatur (Cyr. I, 2, 4; cf. RL. I, 5). Atque pueri, ubi in disciplinam publicam traditi sunt, ut Lacedaemoniorum pueri et artes bellicas exercent (Cyr. I, 2, 8: *τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν*) et magistratibus obtemperare discunt (Cyr. I, 2, 8; cf RL. II, 10—11; IV, 6; VIII; Cyr. I, 6, 20; Hell. VII, 1, 8). Maxime autem ea re abstinentiam discunt pueri

Persarum, quod publice epulantur rebus ad victum necessariis ab uno quoque ex domibus collatis (Cyr. I, 2, 8; RL. V, 2 sqq.); talibus enim conviviis homines arceri a levitate ac mollitie, honestis rebus, ut apud sodales bene audirent, studere et Lycurgus et Cyrus putabant (Cyr. II, 1, 25; cf. RL. V); cibi autem simplices sunt (Cyr. I, 2, 8. 11; cf. RL. V, 2), ebrietas spernitur ac respuitur (Cyr. I, 3, 11; VIII, 8, 10; cf. RL. V, 4—7), bibere nonnisi sitienti licet (ἤν τις διψῇ Cyr. I, 2, 8; cf. RL. V, 4: ὁπότε διψῴη ἕκαστος), sermones convivales modestiam et prudentiam testificantur (Cyr. V, 2, 18; cf. RL. V, 6; Plut. Lyc. XII), labores ante cenam tolerantur (Cyr. II, 1, 29; cf. RL. V, 8—9). Sed adolescentulis, ne turpi cupiditate neve superbia imbuerentur, plurimum consulendum esse arbitrati (Cyr. I, 2, 9; cf. RL. III, 2) Persae hoc instituerunt, ut ephebi et maioribus natu reverentiam praestarent (Cyr. I, 5, 1; VIII, 7, 10; cf. RL. X, 2; Mem. III, 5, 15) et magistratuum iussu omnes labores subirent, homines sceleratos investigarent, latrones aggrederentur (Cyr. I, 2, 12; hoc comparari potest cum κρυπτείᾳ Lacedaemoniorum) et una cum rege venando summas molestias perferrent (venationem Lacedaemone pro publico sanitatis corporum subsidio et optima laborum bellicorum commentatione habitam esse patet ex RL. IV, 7; cf. Cyr. I, 2, 10) et certaminibus de praemio virtutis contenderent (Cyr. I, 2, 12; cf. RL. IV, 2; I, 4). Quare factum est, ut omnes vestitu obsoleto adsuevissent (Cyr. IV, 5, 54; cf. RL. II, 4), nocte aeque ac die uterentur (Cyr. I, 5, 12; cf. RL. V, 7; Ages. VI, 6), famem atque sitim sustentare possent (Cyr. I, 2, 11; RL. II, 5). Sed quisquis epheborum aut puerorum iussa praeceptorum male exsequi videtur, verberibus castigatur (Cyr. I, 3, 16. 18; I, 6, 29; cf. RL. II, 2. 8—9; VI, 2) aut ex disciplina publica dimissus (Cyr. I, 2, 14; cf. RL. III, 3; X, 7) inde ab

illo tempore publica munera adipisci non potest. Etenim ut ii Spartiatarum, qui exercitiis cotidianis interesse desierunt (RL. X, 7), a re publica excluduntur, ita apud Persas, cum omnibus, quicumque re familiari non carent, liberos in disciplinam publicam tradere liceat, nonnisi ii, qui totam hanc educationem absolverunt, ad gubernacula rei publicae sedent (Cyr. I, 2, 15; VIII, 3, 37); hi Persarum optimates, ὁμότιμοι nominati, et nomine et numero et potentia et armatura comparari possunt cum ὁμοίοις Lacedaemoniorum. Sed ii, qui publicam scholam non frequentaverunt, partim eorum Spartiatarum locum tenent, qui a re publica exclusi sunt, partim perioecorum atque helotarum. Quid? Spartiatis nonne ea re similes sunt hi Persarum δημόται, quod eiusdem gentis sunt atque optimates neque nisi educatione ab illis differunt, perioecis atque helotis nonne eo, quod permulti sunt (Cyr. I, 5, 5; II, 1, 3) pro paucitate patriciorum atque in bello sagittariorum et funditorum stipendia faciunt?

Magistratus autem et apud Lacedaemonios et apud Persas creantur ex numero virorum (Cyr. I, 2, 13; RL. IV, 7), sed summa rei publicae administrandae penes senes est; nam aeque ac Lacedaemone apud Persas senibus vitae necisque potestas delata est (Cyr. I, 2, 14; RL. X, 2), et ex eorum ordine tamquam senatus (οἱ βουλεύοντες γεραίτεροι Cyr. I, 5, 5) similis τῇ γερουσίᾳ Lacedaemoniorum constituitur[1]), qui utrum bellum gerendum sit necne, quantus exercitus emittendus, quis dux creandus sit decernit (cf. Cyr. I, 5, 5). Et quoniam principem in re publica administranda locum senes obtinent, ita ut Mandane Persas τὸ ἴσον ἔχειν legibus sanctum habere diceret (Cyr. I, 3, 18), regi non ita multum potentiae relinquitur. Persarum igitur regi non maior potestas a Xenophonte tribuitur quam Lacedaemoniorum; nam ex eo quod Cyrus legatum ad Persas

missum patrem nonnisi de rebus divinis consulere iubet, penes regem sacrorum tantum omnium summam potestatem et administrationem esse (Cyr. IV, 5, 17; VIII, 5, 24; I, 3, 18; RL. XIII, 11) intellegitur; in bello autem ne reges nimiam potentiam sibi arripiant, ut Lacedaemoniorum duces semper duo ephori comitantur, ita Persae consiliarios ad exercitum mittere solent (Cyr. IV, 5, 17; RL. XIII, 5; Hell. II, 4, 36). Atque hoc etiam animadvertendum est Cyrum, ubi regno totius Asiae potitus est, iure iurando obstringi fines atque leges Persarum se defensurum et conservaturum esse, Persas polliceri, ut Cyrus regno privetur sese commissuros non esse, simili pacto, quale inter ephoros nomine civitatis et reges Lacedaemoniorum quovis mense fit (Cyr. VIII, 5, 25; RL. XV, 7).

Quoniam igitur permulta Persarum instituta ac leges, quod ad disciplinam attinet aut ad rem publicam administrandam, Lacedaemoniorum moribus simillima esse cognovimus, transire liceat ad rem militarem; qua in quaestione quamquam permulta esse video, quae ad optimam formam civitatis exprimendam non pertineant, tamen, quod Persas cum Lacedaemoniis comparari posse magni momenti esse infra videbimus, ne continuatio seriesque rerum divellatur, omnes Persarum belli gerendi mores afferendos puto, in quibus cum Lacedaemoniis consentiant. Atque exercitus Persarum, quorum gravis armatura aeque ac Spartae ex patriciis, levis ex plebeiis constat (Cyr. I, 5, 5; II, 1, 9), exercitiis, aciei motibus, militibus collocandis Lacedaemoniorum morem sequuntur. Quid? Lacedaemonii nonne moris est, quod duces ab aciei fronte stant (Cyr. III, 3, 57; II, 2, 6; RL. XI, 5; Hipp. II, 6), milites gregarii primores semper sequi debent (Cyr. II, 2, 8; RL. XI, 5), suum quisque ordinem facillime invenit (Cyr. III, 3, 70; RL. XI, 6), singuli manipuli ad sinistram primi in frontem

procedere, bipartiti progredi, viritim incedere, convertere iubentur (Cyr. II, 3, 21; RL. XI), omnes sagis purpureis (Cyr. VI, 4, 1; VII, 1, 2; RL. XI, 3; Anab. I, 2, 16) armisque splendidis (Cyr. VI, 4, 1; RL. XIII, 8) ornati sunt? Atque pugna instante et Lacedaemoniorum et Persarum duces capillos coronare suos iubent (Cyr. III, 3, 40; RL. XIII, 8; Anab. IV, 3, 17), tesseram per aciem dant, paeana atque clamorem tollunt (Cyr. IV, 1, 6; III, 3, 58; VII, 1, 10). Sed si quis in pugna timidum se ostendit, et Spartiatarum et Persarum legibus tanta ignominia tantoque dedecore afficitur, ut vita ei non ferenda videatur (Cyr. III, 3, 52; RL. IX, 3). Summa autem quod ad castra collocanda et itinera facienda attinet inter Lacedaemonios Persasque similitudo est. Neque enim castra vallo atque fossa ut barbari munire, sed natura locorum usi monte oppido flumine tegere (RL. XII, 1), post vicos collesque collocare (Cyr. III, 3, 28) utrique student atque saepius praedandi causa castra movent (Cyr. III, 3, 23; RL. XII, 5). Noctu autem eadem itineris faciendi ratione ac Graeci Cyrus utitur, cum gravem armaturam, ne exercitus distrahatur, in fronte proficisci, peltastas sequi, equites agmen claudere iubet (Cyr. V, 3, 37; Anab. VII, 3, 37). Neque vero hoc alienum est a Lacedaemoniorum usu, quod Cyrus medicos cum exercitu ducendos censet (Cyr. I, 6, 15; RL. XIII, 7; cf. Anab. III, 4, 30), instrumenta aratorum et fabrorum omnes secum portare iubet (Cyr. VI, 2, 34; RL. XI, 2), ut Persae nihil nisi res bellicas curent (Cyr. V, 1, 30; II, 1, 21; cf. RL. XIII, 1) et exercitationibus campestribus utantur imprimis ante cenam prandiumque (Cyr. II, 1. 29; RL. XII, 6—7) prospicit. Quare quia omnes artes bellicas et Persae et Lacedaemonii colebant et exercitabant, factum esse Xenophon profert, ut utriusque gentis milites pugnandi artifices

essent, hostes eorum belli gerendi imperitissimi viderentur (Cyr. I, 5, 11; RL. XIII, 5)[2]. — —

Quot mores Lacedaemonios disciplinae, rei publicae administrandae, belli gerendi Xenophon Persis suis attribuerit, videtis. Quid ergo? Num Xenophon Lacedaemoniorum civitatem vitiis vacare putabat? Istud quidem nemo sanus contenderit, qui quot et quanta negotia Lacedaemoniorum harmostae atque classis duces exercitui decem milium Graecorum exhibuerint, quantas iniurias vi ac fraude illis intulerint, quomodo Xenophontem ipsum dolo deceperint, accuratius cognoverit. Etenim quamvis domi legibus parerent atque obtemperarent Lacedaemonii, quamvis repudiarent turpis lucri cupiditatem, tamen, ubi ex patria in urbes subiectas egressi erant, cum timor legum severissimarum iis non iam impenderet, Lacedaemoniorum acerrima disciplina eos educatos esse vix[15]) crederes (cf. RL. XIV). Quam ob rem quia omnes Graeci acerbissimo odio eos persequebantur, dubitari non poterat, quin haud cognovissent artem in socios recte honesteque se gerendi, quam artem *τῶν μεγίστων παιδευμάτων* esse Xenophon censet (Cyr. I, 5, 11). Itaque illi res publica Lacedaemoniorum, quippe quam non idoneam esse intellexisset, quae aliarum civitatum principatum obtineret, alia disciplina adiuncta, qua Persae impedirentur, ne tales sese praeberent quales harmostae, emendanda erat, praesertim cum Persas multorum populorum dominatu potiri narraret. Iam vero illud omnibus notum Xenophontem Socratis disciplina usum nonnisi eos aptos esse ad regnandum sibi persuasisse qui regnando digni regnando dignos nonnisi eos, qui *βέλτιστοι* facti essent (RL. X, 5; XIV, 5; Cyr. VII, 5, 78; VIII, 1, 37). Nec vero hac re doctrinae Socraticae universae ille assentitur: Nam cum Socrates omnia praeter virtutem vana et caduca esse censeat, Xenophon eos, qui quamquam *βέλτιστοι* facti

sunt, tamen dominatione potiri non possunt, non minus miserandos esse putat quam agricolas, qui, quamvis saepe sementem fecerint, numquam metant (Cyr. I, 5, 9—10). Sed si quis Xenophontem interrogavisset, utrum viris magis curandum esset, ut dominatione digni essent an ut re vera dominarentur, certe illud se praeoptare professus esset (cf. RL. XIV, 5). Hoc igitur in optima forma civitatis exprimenda Xenophonti spectandum fuisse ex ingenio eius apparet, qua ratione Persae, ut dominando essent digni, *βέλτιστοι* (Cyr. I, 2, 15; RL. X, 5) fierent.

Atque Xenophon cum secum considerabat, qua re factum esset, ut ipse, etsi eadem fere corporis educatione usus erat atque harmostae, adeo ab iis differret, ut eadem fraus et avaritia prorsus alienae essent a moribus suis, quin hoc ideo evenisset, quod Socratis praeceptis ac consuetudine usus esset, dubitare vix poterat. Quid? Spartiatarum educatione cum id tantum efficeretur, ut corpus corroboraretur ad arma scite tractanda, ad insidias dolos fallacias struendas, ad eas denique virtutes, quarum usus in bellis cernitur, exercendas, Socrates nonne immodicos labores subire, quoniam hac re animi cura neglegeretur, reprehendebat (Mem. I, 2, 4), „vim consili expertem mole sua ruere“ sibi persuaserat (Mem. I, 2, 10)? Quid vero? Ipse Xenophon nonne animi cultum quam corporis pluris aestimabat (RL. X, 3), nonne minus legibus severis, quales Lacedaemone extabant, quam doctrina ac praeceptis magistrorum homines ad virtutem excitari persuasum habebat (Cyr. III, 3, 52—53)? Persas suos igitur non solum corporis disciplina simili Lacedaemoniorum uti, sed etiam animum moresque exercere narrat ad summam honestatem colligendam. Sed cum virtutem et scientiam esse (Mem. I, 1, 16; Cyr. III, 1, 17) et semper exercitari debere (Mem. I, 2, 23; II, 6, 39; VIII, 5, 75) a Socrate didicisset, quas

virtutes summas esse putabat, eas Persarum liberos discentes facit et in scholis publicis et exemplo virorum natu maiorum.

Agedum quas virtutes Xenophon summas esse iudicaverit considerate. Atque cum philosophi illius aetatis, quotienscumque de iis virtutibus, quas praeter ceteras excellere censent, disputant, tres virtutes semper easdem enumerent (*δικαιοσύνην*, *σωφροσύνην*, *ἀνδρείαν*), quartam non omnes quidem, sed plerique *σοφίαν* vocent, et ipsum Xenophontem illas virtutes pro summis habere, *εὐσέβειαν* ponere pro hac multis testimoniis comprobari potest. Etenim Xenophon de his virtutibus omnibus in scriptis non solum uberius agit quam de aliis, sed etiam saepe, cum de unius viri aut totius populi honestate aut vitiis ei disputandum est, hac quadripertita distributione utitur ex summis virtutibus expressa (cf. caput quintum huius quaestionis). Dixerit quispiam Xenophontem continentiae ac temperantiae (*ἐγκρατείας*) multo saepius mentionem facere quam omnium illarum virtutum, ita ut vel Cynicorum doctrinam illum sequi non desint qui censeant. Quis negat? Veruntamen *ἡ ἐγκράτεια* apud Xenophontem arte semper connexa est *τῇ σωφροσύνῃ*. Requiretur fortasse nunc, cur iis virtutibus, quas ille plurimi aestimaverit, obsequium erga magistratus legesque non addiderim, cui multum eum tribuisse ex plurimis testimoniis luce clarius appareat. At hoc quoque, quia emanat ex moderatione et prudentia, plerumque copulatum invenies *τῇ σωφροσύνῃ*.

Quae cum ita sint, has virtutes Xenophontem et pro summis habuisse concedes et in publicis Persarum scholis doceri narrare exspectabis: 1) *εὐσέβειαν* 2) *δικαιοσύνην* 3) *σωφροσύνην*, *ἐγκράτειαν*, *τὸ πείθεσθαι τοῖς ἄρχουσιν* 4) *ἀνδρείαν*. Quarum virtutum ille pietatis neque in Lacedaemoniorum re publica neque in Persarum disciplina

explananda mentionem facit, sive quod liberos non iam satis intellegere posse res divinas censet, sive quod pueros parentum praeceptis ad religionem et sanctitatem perduci mavult, similiter ac Cyrus iam adolescens a patre deorum cultum accuratius cognoscit (cf. Cyr. I, 6, 1—6). Sed utut haec res se habet, reliquas virtutes, quas Xenophon summas esse putabat, pueri Persarum discunt (Cyr. I, 2, 6—7: *δικαιοσύνη*; 8: *σωφροσύνη*, *τὸ πείθεσθαι τοῖς ἄρχουσιν*, *ἐγκράτεια*; bellicae virtutes: *τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν*). Omnium autem virtutum quia quasi dominam ac reginam iustitiam esse etiam ex Platone cognoscimus, et huius virtutis doctrinae Persas maxime operam dare et scholas publicas *τὰ τῆς δικαιοσύνης διδασκαλεῖα* nominari vix est quod miremur; etenim ut Socrates Xenophonteus eum iustum esse dicit, qui secundum leges vivat et quas homines scripserint et quas maior quam homines legislator constituerit, ita vocem *δίκαιος* Graeci ampliore sensu usurpabant quam nos. Recte igitur Eduardus Schwartz (Jahrbuch des Freien Deutschen Hochstifts, 1906, p. 59) non eum *δίκαιον* nominari contendit, qui iustitia quasi forensi praeter ceteros floreat, sed qui cum aliis hominibus ita agat, ut leges moresque iubeant. Quid? Iustitiae nonne saepe turpis lucri studium, quod vitium in harmostis tanta ira reprehendit, Xenophon opponit (Cyr. VIII, 1, 26; I, 5, 13; VIII, 8, 6; Hell. II, 4, 40—41; Anab. I, 9, 16; II, 6, 17; Symp. IV, 42; Ages. XI, 3, 8), non eos iniustos esse iudicat, qui pro beneficiis gratiam non referant aut amicos non adiuvent (Cyr. V, 1, 21; 2, 11; 3, 31; 5, 13; I, 5, 13; Mem. IV, 4, 24; Ages. IV, 2; Hell. IV, 1, 33; passim), ita ut duas partes iustitiae eminere apud Xenophontem appareat, *δικαιοσύνην εἰς χρήματα* et *δικαιοσύνην εἰς φίλους*? Quid vero? Iustos esse nonne eos ille putabat, qui, quamvis benigni essent in suos, hostibus quam maximum damnum inferre studerent (Cyr. I, 6, 27; VI, 1, 55; Mem. IV, 2, 15)?

Hac autem τῆς δικαιοσύνης parte, ne liberi Persarum etiam in amicos tales sese praeberent, quales in hostes esse didicissent (Cyr. I, 6, 30—34), summota illam iustitiam, quae cernitur in abstinentia turpis lucri (cf. etiam Cyr. IV, 2, 45: κρείττους εἶναι κερδέων ἀκαίρων) et in grato beneficiorum animo (Cyr. I, 2, 7), prae ceteris summis virtutibus pueros cognoscentes et exercentes Xenophon facit. Sed ut ipse Socratis senis praeceptis erat imbutus, ita a senibus pueros quoque Persarum omnes virtutes cognoscere narrat (Cyr. I, 2, 5. 13), qua re animi disciplinam pluris aestimari quam corporis in optima quam Xenophon expressit republica aperte comprobatur. Neque vero minus exemplo quam doctrina pueri virtutes docentur; semper enim vident provectiores aetate temperantiam continentiamque exercentes et magistratibus oboedientes; sed quod iustitiam maxime ea re liberi cognoscunt, quod senes iis ius reddunt inter se criminantibus (Cyr. I, 2, 6—7), ingenio Xenophontis convenit aptiori ad usum vitae cotidianae quam ad doctrinam ad artem et praecepta revocandam.

Quare videte, lectores, num dubitandum vobis sit, quin Xenophon, ut optimam rei publicae formam exprimeret, cum Lacedaemoniorum institutis coniunxerit disciplinam similem Socraticae, qua pueri Persarum ad summas virtutes colendas perducerentur. Quam ad rem nescio an hoc quoque illum commoverit, quod etiam secundum Herodotum[3]) Persae praeter artem equitandi et sagittandi unam virtutem discunt, quae ad mores et honestatem pertinet, veritatem (Her. I, 136. 138; cf. Cyr. I, 6, 33). Sed quod hac in quaestione primum de Persarum moribus similibus Lacedaemoniorum disputavi, deinde de doctrina earum virtutum, quas Xenophon excellere putabat, hoc non ideo evenit, quod eas omnes alienas esse contenderem a Spartiatarum moribus, sed quia, quamquam principio id tantum

egi, ut quomodo Xenophon rempublicam Lacedaemoniorum quasi correxisset Socratica disciplina adiuncta exponerem[4]), tamen permultum mea intererat has virtutes contexte enumerare omnes. Quas pro summis a Xenophonte haberi si cui persuadere nondum potui, hic inspiciat quaeso caput quintum huius disputationis, in quo qua ratione ille iis usus sit ad res inventas in ordinem distribuendas quaerendum mihi est.

Nec vero in Spartiatarum corporis modo disciplina. sed etiam in aliis quibusdam eorum moribus Xenophontem acquiescere non potuisse Persarum reipublicae descriptio docet. Ne plura afferam, non ei, qui semper coniugum fidum amorem celebraret, comprobari poterant perpetua Spartiatarum adulteria legibus sancta (RL. I, 7—10), non ei, qui Socratis familiaritate usus esset, qui convivium civium Atheniensium libenter describeret, tristis et aspera Lacedaemoniorum taciturnitas, non ei, qui a Socrate iustitiam et probitatem didicisset, furta moribus illorum recepta. Quam ob rem Xenophon, quamvis in libro de re publica Lacedaemoniorum haec instituta laudaret, in Cyri institutione de mulierum educatione non agit, Cyrum puerum ad avum arcessi, loquacissimum sese praebere, consuetudine aequalium, quantum libebat, uti (Cyr. I, 3; I, 4) narrat, furta non solum eorum vitiorum, quae graviter vindicarentur, primum enumerat (Cyr. I, 2, 2. 6), sed etiam, quamvis utilia essent ad bellandum, aperte vituperat (Cyr. I, 6, 31—33; cf. RL. II, 7); ac nescio an Cyri iudicium de tunicis duorum puerorum factum (Cyr. I, 3, 17), quod Xenophon reprehendit, Lacedaemoniorum magistratus comprobaturi fuerint[5]).

CAPUT ALTERUM

XENOPHONTEM IN CYRI INSTITUTIONE BELLUM INTER GRAECOS PERSASQUE GERENDUM DESCRIBERE

Et quoniam de republica Persarum satis superque disputavi, sequi videtur — hoc enim erat alterum —, ut Xenophontem in Cyrupaedia conscribenda id quoque egisse exponam, ut bellum, quale suis temporibus Graecos cum Persis gerere desiderabat, describeret. Sed quia hoc illius studio ac proposito neglecto totam Cyrupaediae fabulam recte intellegi non posse mihi persuasi, inde proficiscatur, si placet, quaestio mea, qua ratione ille verum rerum eventum mutaverit ad narrationem sibi fingendam. Quam rem cum complector animo, quattuor reperio discrimina maiora, quae intercedant inter nostram fabulam et ea, quae Herodotus et Ctesias tradunt: Unum, quod apud Xenophontem Cyaxares patri Astyagi rex Medorum succedit, cum Ctesias mentionem non faciat filii Astyagis, prolem masculam ei deesse plane atque aperte testetur Herodotus. Alterum autem est hoc, quo viros doctos saepe usos esse video, ut Cyri institutionem veram historiam non esse demonstrarent, quod Medi, quorum regnum et apud Herodotum et apud Ctesiam Cyrus vi et armis funditus delet, apud Xenophontem societate et conubio cum Persis coniuncti communibus hostibus bellum inferunt, tertium, quod secundum illos Cyrus Medis subactis primo Croesum bello persequitur, deinde Babylonios devincit, apud hunc Persis statim cum una et magna omnium totius Asiae gentium societate pugnandum est, postremum, quod Cyrum in bello Massagetis sive Derbicis inlata mortem occubuisse illi tradunt, cum

hic senem eum in patria morientem faciat. Quae discrimina num aliquo Xenophontis consilio et proposito explicari possint, summi momenti puto enucleari.

Atque quod Xenophon Cyrum senem in pace naturae concedere narrat, hoc et quia auctor Socratis mortem describere volebat et quia extrema fabulae pars hac mutatione gratior facta est, facillimum est intellectu; quod Cyaxarem Astyagi succedentem facit, hoc ea re evenisse potest, quod Cyrum comparatum cum Cyaxare, homine severo et ignavo, intemperantissimo et voluptatibus indulgente, eo maioribus laudibus efferre studebat; Cyrum vero statim cum una magnaque totius Asiae gentium societate bellum gerere ideo Xenophontem referre non desunt qui credant, quod ut in fabula res gestae in brevius temporis spatium coartandae ei erant. Sed hanc sententiam sive accipis sive prorsus futilem putas, hoc profecto ex iis, quae Xenophontem in animo habuisse attuli, haud intellegitur, quam ob rem ille Persas et Medos societate et conubio coniunctos communibus hostibus bellum inferentes faciat. At Graecos sese ea re melius docere posse putabat Xenophon. Quasi vero fabula non mutata docere non potuerit! At Cyrum maioribus laudibus exornare studebat. Quid postea? Maioresne res gessit is, qui statim cum Medis, magna et bellicosa gente, societate facta hostes superaret quam qui, quamvis acriter avus ei insidiaretur, quamvis vehementer sui cives Medorum servitute premerentur, quamvis multa pericula imminerent, tamen Persas liberaret, deinde autem omnes Asiae gentes vinceret? At vero levior haec mutatio videtur esse. Quod totum contra est. Neque enim, ut ex memoria recentioris aetatis exemplum petam, minus graviter Xenophon historiam mutavit, quam si quis Fridericum Magnum regem Borussiae una cum Maria Theresia ceteris Europae populis bellum intulisse

narraret. Quam ob rem cum hanc gravem atque inauditam mutationem rerum ex iis, quae attulimus, nullo modo intellegi posse pateat, num aliam huius rei causam reperiamus quaerendum est. Quod ad propositum consequendum rectam viam ituros nos esse puto, si primum quales partes et Persae et Babylonii in narratione nostra teneant, deinde quid et aequales Xenophontis et ipse Xenophon censuerint de bello Persis inferendo, tum quatenus bellum Persis ab Agesilao inlatum consentiat cum Cyrupaediae fabula, postremo qua ratione simultas inter Cyrum et Cyaxarem exorta explicari possit, diligenter considerabimus.

Atque in institutione Cyri Cyrus eiusque milites non tales describuntur, quales Asiae tyrannum atque Persidis incolas re vera fuisse cognitum habemus, sed Graecos eos potius esse credas quam barbaros. Persas enim Xenophonteos multis non solum disciplinae ac rei publicae administrandae, sed etiam belli gerendi moribus Lacedaemoniorum simillimos esse iam supra demonstravimus. Assyriis contra eorumque sociis permulti barbarorum mores attribuuntur: Etenim cum et Lacedaemonii et Persae in castris ponendis natura loci utantur, Assyrios, quia exercitus eorum, quippe qui maximam partem ex equitibus constaret, nocturno impetu ab hostibus facto facillimus esset turbatu, ad defendendum ineptus, castra fossa circumdare consuevisse iisdem fere verbis Xenophon narrat (Cyr. III, 3, 26—27), quibus barbarorum castra collocandi rationem describit (Anab, III, 4, 35). Deinde Assyrii tanta militum multitudine sunt instructi, ut lente iis progrediendum esset (Cyr. IV, 2, 6), in bello gerendo ut barbari, qui Xenophontis temporibus vivebant, mulieres suaque omnia secum ducunt, opibus et fortunis abundant (Cyr. I, 5, 3), ad pedes regis se abicere solent (*προσκυνεῖν*), in venationibus, ut postea Persarum mos erat, tela non mittunt ante regem (Cyr. IV,

6, 3—4), in bello curribus, quibus eminus pugnant, utuntur (Cyr. II, 1, 5; passim), in pugna rex eorum in media acie consistit (cf. VII, 1; Anab. I, 8, 22). Quam ob rem cum Assyrios simillimos esse Persarum hostium Graecorum, Cyrupaediae Persas Lacedaemoniorum nemo negare possit, recte hanc summam iudicii facere mihi videor Xenophontem in Cyrupaedia bellum Persarum describere, quale suis temporibus ab omnibus Graecis coniunctis geri volebat.

Etenim quamvis Graeciae gentes Xenophontis aetate discordia essent divisae, tamen numquam memoria vigere desierat rerum ab omnibus Graecis, cum Persae invasionem in terras eorum fecissent, praeclare gestarum, ita ut Xenophon decem milia quae nominant Graecorum summo dolore afflicta de illis temporibus admoneret (Anab. III, 2, 11—13), legatus Sinopensium eos laudaret, quia barbaros vicissent (Anab. V, 5, 8—9), ut Graeci Graecos clementer et liberaliter tractarent atque adiuvarent, ipsi semper postularent (Anab. II, 1, 17; V, 6, 2; VII, 6, 41; I, 3, 4), plerique, qui per terram Persicam iter facerent, qua ratione regi Persarum bellum inferri posset, meditarentur (Hell. VII, 1, 38; Anab. I, 5, 9; cf. Hell. VI, 1, 12), legati in foedere ineundo libenter bella Persarum in memoriam sociorum reducerent (Hell. VI, 5, 43). Quae cum ita essent, ut rex Persarum Graecos, ne sibi bellum inferrent, deterrere studebat (Anab. II, 4, 3), ita Pharnabazo satrapae facile Conon persuasit Graecos, si Persae Asiae urbes in dicionem redigere conarentur, defendendi causa pacem ac societatem inter se facturos esse (Hell. IV, 8, 2), neque quisquam dubitabat, quin Graeci Persas imperium maris obtinere situri non essent (Hell. IV, 8, 4). Neque minus Graecos ne rex Persarum denuo impetum in ipsos faceret metuisse ex eo apparet, quod Agesilaus ad bellum proficisci conatus satius esse docet in Asia quam in Europa dimicari (Ages. I, 8;

Nep. Ages. II). Sed omnes Graecos Xenophontis temporibus acerbissimo odio Persas persecutos magnoque cum ardore animi maiores, qui barbaros devicissent, admiratos esse, etiam ex scriptorum et poetarum operibus apparet. Illa enim aetate postquam Gorgias in oratione, quae *'Ολυμπικός* inscribitur, Graecos admonuit, ut domesticis dissensionibus intermissis barbaris bellum inferrent, Timotheus *νόμῳ* victoriam Salaminiam illustravit, Choerilus carmine epico totum bellum Persarum enarrandum suscepit, Isocrates omnes Graecos coniunctos bellum cum hostibus communibus gesturos esse sperare non desiit. Multos autem Athenienses Graecorum discordiae bellum Persarum praeoptavisse apparet ex Aristoph. Lysistr. 1133/34:

ἐχθρῶν παρόντων βαρβάρων στρατεύματι
Ἕλληνας ἄνδρας καὶ πόλεις ἀπόλλυτε.

Iam vero quantopere Xenophon ipse, quippe qui multos vitae annos in Persis debellandis consumpserit, Graecos Persis bellum inferre desideraverit, cum ex eo cognoscis, quod Callicratidam barbaris inimicissimum fuisse Graecisque pepercisse libentissimo animo narrat (Hell. I, 6, 7. 11. 14), quantae opes et difficultates Persarum sint in bello gerendo exponit (Anab. I, 5, 9), in urbe condenda id potissimum spectat, ut Graeciae fines propaget (Anab. V, 6, 15), tum ex diuturno illius Agesilai usu et familiaritate. Etenim Agesilaus[6]) tota in vita id egerat, ut regnum Persarum funditus deleret; itaque ubi Asiae urbes Graecas bello premi audivit, ut omnibus sese Asiam expugnaturum esse ostenderet, quasi alter Agamemnon Aulide proficisci volebat; idem postquam Persis proelio devictis regem Persarum superare se posse sibi persuasit (Hell. III, 5, 1; Ages. I, 36), penitus in Asiam invadere conabatur (Hell. IV, 1, 41), cum bello inter Graecos exorto spe deiectus est. Quod quamquam gravissime tulit, tamen ut sociis sese brevi in Asiam reversurum esse promisit (Hell. IV, 2, 3—4; IV, 3, 2), ita for-

tunam Graeciae commiseratus est, quod discordia Graecorum tanta multitudo hominum caderet, quanta ad Persas devincendos satis esset (Ages. VII, 4—7). Atque tanto odio Agesilaum regem Persarum persecutum esse Xenophon narrat, ut senex octoginta annorum in Aegyptum proficisceretur ad bellum Persis inferendum (Ages. II, 28—31). Quam ob rem cum is, quo nemo Xenophonti melior esset amicus, quamvis esset φιλέλλην et μισοπέρσης (Ages. VII, 4. 7), ne eas res gereret, quas gerere vehementissime cupiverat, fortuna impeditus esset, nescio an Xenophon saepe secum cogitaverit, quemadmodum res eventurae fuerint, si in bello perseveratum esset. Atque ut saepe ii, qui vero rerum eventu spe lapsi sunt, ad artem poëticam confugiunt, ubi fortunis ac casibus non impediantur, quin omnia talia describant, qualia esse desiderent, ita Xenophon in Cyrupaedia conscribenda id animo sibi finxisse mihi videtur, qua ratione Agesilaus Persas devincere potuerit. Sed ne quis temere hoc a nobis dici existimet, videamus, nonne sententia nostra singularum Xenophontis rerum tractatione probetur.

Atque Agesilaum in bello cum Persis gerendo semper ideo in angustias adduci apparet, quod equitatu ipse paene omni carebat, hostes super ceteros populos excellebant. Nam cum Lacedaemoniorum equitatus, quippe cui nihil operae illi navarent, Xenophontis aetate et perparvus et pessimus esset (Hell. VI, 4, 10—11), postquam Graecorum duces ante Agesilaum in Asia bellum gerentes, etsi trecenti Atheniensium equites Thibroni auxilio missi erant (Hell. III, 1, 4), equitum paucitatem molestissimam esse cognoverunt (Hell. III, 2, 1), Agesilaus proelio equestri victus (Hell. III, 4, 13—14) equitatum sibi instruendum esse intellexit (Hell. III, 4, 15). Qui equitatus quamquam Persarum equitibus minime par erat (Hell. III, 4, 24), tamen

quod Thessalos vicit Agesilao magno erat gaudio (Hell. IV, 3, 9; Ages. II, 5). Atque similiter in reditu Graecorum post pugnam apud Cunaxa commissam Xenophon, quia bellum cum barbaris nisi equitatu instructo geri non posse intellexerat (Anab. II, 4, 6; III, 1, 2; III, 2, 18—19; III, 3, 9) ipse paucos equites sibi comparavit (Anab. III, 3, 16—20). Quam ob rem ille, cum barbaros equitatu superiores esse cognovisset, Cyrum enixe operam dantem facit, ut equitatem sibi instrueret. Etenim quamquam ex Herodoto Persis equos non defuisse patet (Her. I, 136), tamen secundum Xenophontem, cum in Perside (aeque ac Spartae) terra natura montuosa atque aspera fieri non possit, ut equi educentur, ne nobiles quidem Persarum equo vehi sciunt, ita ut Cyro ipsi regis filio ars equitandi apud avum discenda sit (Cyr. I, 3, 3. 15). Itaque postquam primo proelio casu tantum factum est, ut hostes ingenti sua equitum vi uti non possent, Cyrus, ut paulo ante Armenios superare non potuit, nisi Cyaxares equites ei commisisset (Cyr. II, 4, 14), ita etiam tunc Cyaxari persuasit, ut equitibus Medorum se sequi liceret (Cyr. IV, 1). Sed cum maxime dubium esset, utrum equites Medorum atque Hyrcanorum, qui ad Cyrum defecerant, in fide mansuri essent necne (Cyr. IV, 2, 40), Cyrus suos, quippe qui neque hostes sese persecutos trucidare posse (Cyr. IV, 1, 11; cf. Anab. II, 4, 6; III, 1, 2) et a sociis multa praeda aut privari aut beneficii tantum forma sese donari viderent, ut ipsi equitatum sibi instruendum curarent, commovit (Cyr. IV, 3). Quo facto Persis, cum maximam vim exercitus, si cominus pugnandum esset, in peditibus sitam esse minime eum fugeret, modo ut equitibus modo ut peditibus uti volebat (Cyr. IV, 3, 14). Videsne igitur hic viam ac rationem indicari, qua Graeci neque suam vim in gravi armatura sitam, quam multo praestare omnibus barbarorum exerci-

tibus et in Cyri Minoris expeditione et in Agesilai bello saepissime Xenophon cognoverat, amittant et hostium equitatui pares esse possint? Sed Cyrus hoc tam parvo equitatu comparato minime acquiescebat, sed ubi vel socii vel Persae praedam fecerant, ut omnes equos captos (similiter Graeci, cum Xenophontis auspiciis equitatum instruerent, maximam partem equis captis usi sunt; cf. Anab. III, 3, 19) sibi committerent, rogabat ad novos equites instruendos (Cyr. IV, 5, 47; V, 4, 32; VI, 1, 26; VII, 4, 16), ita ut Cambyses pater optime de Persis eum mereri diceret, quod equitatu instituto illis facultatem dedisset regiones campestres possidendi (Cyr. VIII, 5, 23).

At quamvis magna negotia Agesilao equites hostium conflarent, tamen — hoc enim alterum est argumentum ex Agesilai bello petitum, e quo in Cyrupaedia bellum Persarum subesse crediderim — ideo spem haud abiecit, quod regulis et satrapis a rege Persarum deficientibus numerum suorum augeri partim videbat partim exspectabat. Etenim postquam ad Thibronem ii defecerunt, quibus rex Persarum urbes dono dederat (Hell. III, 1, 6), Agesilaus, cum Spithridatam et Otyn in fidem accepisset, Pharnabazum defecturum esse speraret, spem rei feliciter eventurae maxime in hac Persarum defectione collocatam esse putabat (Hell. IV, 1, 2; IV, 1, 41; Ages. I, 35; VII, 7; VIII, 5), ita ut et Sardium incolas ne fidem regi Persarum praestarent, commovere studeret et quod Spithridates cum suis Graecos deseruit gravissime ferret (Hell. IV, 1, 28). Maxime autem eas gentes descituras esse Agesilaum speravisse consentaneum est, quae aut nondum sub dicione Persarum essent (cf. Hell. IV, 8, 5) aut iugum servitutis a se depellere vehementissime cuperent. Itaque Xenophon, cum his causis gentes ac regulos ad defectionem adduci posse aut vidisset aut putaret: primum, quod aliquid iniuriae iis inlatum

erat a satrapa vel a rege (Spithridates, Pharnabazus), deinde, quod ab amicis ut ad Graecos transirent commovebantur (Otys), tertium, quod Persarum dominatu graviter pressi libertatem recuperare studebant (Otys et Paphlagones), denique quod ne a Persis sub dicionem redigerentur veriti inimicissimi iis esse non desinebant (Carduchi), iisdem rationibus gentes et satrapas in Cyropaedia ut Cyri partes sequerentur impelli narrat. Atque Gobryam, qui primus regulorum ad Cyri causam se adiungit, comparari posse puto cum Spithridata et ipso primo ad Agesilaum deficiente; uterque enim, quia iniuria aut a rege Assyriorum aut a Persa quodam amplissimo affectus est, barbaros deserit; uterque hostium duci cum omnia sua tum filiam committit, quam ille honestissimo viro in matrimonium dat (Cyr. IV, 6, 9; V, 2; Hell. III, 4, 10; IV, 1, 14; Ages. III, 3); uterque alium regulum ut consilia cum hoste communicaret commovet. Gobryam autem re vera satrapam Assyrium fuisse et Cyro multum profuisse in Babylone expugnanda constat ex inscriptione illa, cui nomen regis Nạbunahid indiderunt; Xenophon igitur illum regulum, cuius nomen apud Ctesiam eum invenisse consentaneum est, talem descripsit, qualis in bello cum Persis gerendo Graecis maximo commodo esse potuit[2]). Sed alterum regulum, qui cum Agesilao foedus facit, Otyn regem Paphlagoniae, partim cum Gadata, partim cum Hyrcaniis conferendum esse censeo. Etenim ut Agesilaus a Spithridata Otyn a rege defecturum esse certior factus in terram eius, quamvis longe abesset ab iis locis, in quibus bellum usque ad illud tempus gesserat, profectus est, deinde eodem itinere revertit, ita Cyrus, ubi primum a Gobrya Gadatam regem Assyriorum acerbissimo odio persequi cognovit, in regnum illius quamvis longinquum iter fecit, etsi Babylonem hostium caput praeterire necesse erat, tum ad fines

Mediae rediit. Cum Hyrcanis autem Paphlagones ea re consentiunt, quod utrique equitibus praeclaris excellunt, partes magni regis minime sponte sequuntur, eundem numerum equitum novis sociis auxilio mittunt (Hell. IV, 1, 3; Cyr. IV, 2, 1); Xenophon igitur, qua admiratione erat captus equitatus Paphlagonum (Anab. V, 6, 6—9), illorum virtutes in Hyrcanos, quorum equites in exercitu Persarum adesse ipse cognoverat (Anab. VII, 8, 15), transtulisse mihi videtur. Accedebat, quod auctor Paphlagones novis rebus studere ex ea re cognoverat, quod mille equites eorum cum Cyro Minore magno regi bellum intulerant atque, quoniam optimi erant equites, in pugna apud Cunaxa commissa prope Graecos collocati erant (Anab. I, 8, 5). Paphlagones igitur et Hyrcanii earum gentium exemplum sunt, quas nullam occasionem servitutis a se depellendae dimittere supra commemoravi; restat, ut de iis populis agam, qui ne a Persis libertas sibi eriperetur veriti illis inimicissimi esse non desierunt. Atque Xenophon, cum animo cogitaret, quas gentes huius rei exempla proferret, recordatus esse mihi videtur sese apud Ctesiam legisse Cadusios, qui ipsius aetate Persis negotia exhibebant (Hell. II, 1, 13), multos annos ad internecionem usque cum Medis bellum gessisse, dum Cyrus imperio totius Asiae potitus esset (Ctes. ed. Lion Pers. fr. XXVII). Quam ob rem quid facilius est intellectu, quam quod Xenophon eos, quos et vehementissimum odium in Medos habuisse neque umquam libertatem amisisse haud ignoraret, Cyro socios fieri narrat? Sed quod Cadusiis Sacas adiunxit, hoc ea re factum esse puto, quod Sacas cum Medis libertatem iis erepturis dimicavisse eodem Ctesiae loco invenit (Ctes. XXVII). Quod igitur bellum Cadusii Sacaeque cum Medis gesserunt, hoc illos cum Assyriis gessisse animo fingit, quippe qui id tantum spectaret, ut eos Cyro socios tribueret, qui inimicissimi essent Asiae dominis. Idem

quod Hyrcaniis Cadusiis Sacis, quos ad dextram ripam Euphratis fluminis incolentes facit, alias sedes attribuit ac re vera habuerunt, nescio an primum Cyri historiam talem narrare in animo habuerit, qualem rerum scriptores tradunt; nam inter veros Hyrcanios Cadusios Sacas et Persida Media, cuius regem Cyrus re vera imperio deiecit, eodem modo sita est, quo inter sedes, quas iis gentibus attribuit, ac Persida Assyria, cuius regno Xenophon Cyrum potiri refert. Huc quoniam accedit, quod Xenophon Assyrios etiam Bactrios bello persecutos esse narrat (Cyr. I, 5, 2), quod Assyrii nullo modo, Medi optime facere poterant, nescio an ille omnia, quaecumque de Medis animo finxerit, ubi Medos Cyro socios adiungere constituerit in Assyrios transtulerit. Cadusii autem et Sacae ea ratione ad deficiendum commoventur, quam ad novos socios comparandos utilem esse Xenophon in Otyos defectione cognoverat; ab Hyrcaniis enim ut Cyri partes sequerentur iis persuadetur. — Sed Agesilaus quamquam Spithridatam et Otyn facillime ut a magno rege se seiungerent adduxit, tamen, quamvis multum operae ac studii in eo poneret, ut Pharnabazum satrapam Asiae Minoris ad se perduceret, hoc assecutus non est; nam Pharnabazus in colloquio hoc se sibi proposuisse dixit, ut, si cui a rege Persarum postponeretur vel aliam iniuriam acciperet, cum Agesilao societatem iniret, sin ipsi summa imperii committeretur, bellum cum Graecis gereret. Quae cum ita sint, quomodo fieri potuerit, ut Pharnabazus a rege aliqua iniuria afficeretur, Xenophon animo volvisse mihi videtur; itaque cum in Agesilai bello unus tantum Spithridates ideo patriam prodat, quod a satrapa iniuria affectus est, in Cyrupaedia rex Assyriorum omnibus Cyri sociis, quicumque ipsius imperio obnoxii erant, aliquid iniuriae intulit: Hyrcanii enim ab Assyriis summis laboribus ac periculis obiciuntur (Cyr. IV, 2, 1), Gobryam

rex barbarorum filio privavit (Cyr. IV, 6, 4), Gadatae virilitatem ademit (Cyr. V, 2, 28), ab Abradata uxorem divellere conatus est (Cyr. VI, 1, 45). Etenim saepius in narratione sua Xenophon homines atque res non tales describit, quales sunt, sed quales eos esse desiderat. Cuius sententiae statim testimonium afferam postremum Cyri socium, Abradatam, quem cum Syennesi rege Ciliciae et ipso ad Cyrum Minorem deficiente comparem; etenim uterque regulus ab uxore, quae ante coniugem hostem cognoverat eumque aut admirabatur aut amabat, ut Cyrum sequeretur commotus est; sed Panthea Abradatae uxor non eorundem morum est atque Epyaxa regina Ciliciae, sed pulcherrima et marito omnium fidelissima.

Quoniam igitur omnes Cyri socios cum regibus aut gentibus sub Persarum dicione agentibus, qui re vera ad Graecos defecerant aut quos defecturos esse Graeci speraverant, comparari posse demonstravi, Xenophontem in Cyrupaedia bellum Graecorum contra Persas describere propensior iam eris concedere. At quamquam ex hoc Xenophontis consilio atque proposito, quia Graecos, si quis parvam gentem omnibus virtutibus ad bellum necessariis praeditam innumerabilem hostium ex tota Asia congressorum numerum vincere iis narrabat, de illis temporibus cogitasse veri simillimum est, quibus ipsi ingentem vim Persarum paucitate sua superaverant, optime intellegitur, cur Persas statim cum una et magna totius Asiae societate bellum gerentes faciat, tamen id quidem uberiore quaestione eget, quomodo factum sit, ut Xenophon Medos socios Persarum esse animo fingeret. Etenim cum hanc mutationem gravem et fere inauditam esse nemo negare possit, hanc inter Persas Medosque societatem describere Xenophontis permultum interfuisse necesse est. Sed reminiscaris quaeso, quid supra attulerim, cum dicerem Xenophontem non ea

narravisse, quae re vera facta essent, sed quae aut facta esse aut fieri volebat. Iam cum totius Cyrupaediae fundamentum bellum Graecorum contra Persas esse dixerim, in tali bello autem omnes Graeciae gentes inter se coniunctas esse necesse fuerit, Medos pro ceteris Graeciae civitatibus, imprimis autem pro urbibus Graecis in Asia sitis introduci crediderim. Etenim ut Medis, postquam multos iam annos cum Assyriis bella gesserunt, in quibus hi plerumque illorum agros vastabant (Cyr. I, 4, 16; VI, 1, 10), timendum est, ne Assyriorum rex, qui omnibus Asiae gentibus praeter Medos Persasque iugum servitutis imposuit, in dicionem se redigat, ita Graecos Asiae Minoris ex Croesi temporibus a barbaris semper bello pressos eorumque fines vastatos esse regemque Persarum has urbes libertate uti semper molestissime tulisse nemo est quin sciat; sed cum Tissaphernes Cyri satrapia cum sua coniuncta similiter ac rex Assyriorum magnam potestatem adeptus, postquam reliquos Asiae populos subegit, ut urbes Ionicae in potestatem suam se promitterent, postularet, Graecis Asiam incolentibus denuo ne libertate privarentur curandum erat (Hell. III, 1, 3). Quam ob rem ut illi a Lacedaemoniis auxilium petiverunt, ita Cyaxares ad Persas, quibuscum et societate et affinitate coniunctus esset, misit, qui a gente finitima ut sibi copias auxiliares mitteret postularent (Cyr. I, 5, 4—5). Atque Persae et ut gratum aliquid facerent amicis (*χαριζόμενοι* Cyr. IV, 1, 20; *τοῖς φίλοις* I, 5, 13) et quia Medis ab Assyriis subactis etiam Persis periculum impendere manifestum erat (Cyr. II, 1, 8), quod argumentum optime conferri potest cum eo, quod Lacedaemonios, quamquam minime Graecorum in discrimine erant, reliquis Graecis devictis certe Persae adorturi erant, Cyaxari exercitum triginta milium militum, quorum perpauci homotimi erant (Cyr. I. 5, 5), ut apnd Lacedaemonio-

rum exercitus perpauci Spartiatae, auxilio mittunt. Sed copiae auxiliares, quas Lacedaemonii miserant, ea re magnas in angustias adduci non desierunt, quod neque socii suas terras diripi aut depopulari sinebant et Spartiatarum magistratus paucorum tantum mensum frumenta exercitui dederant (Hell. III, 4, 3); itaque ducibus id semper agendum erat, ut milites ex hostium agris praedando alerent et mercedem iis solverent e divitiis hostibus ereptis (Hell. III, 1, 10; III, 2, 1—2; III, 2, 6—7; III, 1, 27; III, 4, 26; IV, 1, 16), nisi forte quis eodem modo ac Thibron, quod sociorum agros vastari passus esset, domum revocari volebat (Hell. III, 1, 8). Sed Graeci Asiae Minoris, quamquam eos pecuniam ad mercedem militibus solvendam Lacedaemoniis dedisse me legere non memini, tamen equites instruere et naves aedificare coguntur (Hell. III, 4, 15. 28; Ages. I, 23). Quibus in rebus tractandis etiam in fabula sua Xenophon multum studii atque operae posuit. Etenim etiamsi sese ipsum exercitui Persarum frumenta daturum esse promisit Cyaxares, tamen Cyrus patris praecepta secutus (Cyr. I, 6, 9) numquam Medorum opibus contentus est, sed et ab Armeniorum et ab Indorum rege alias pecunias comparare studet; idem ubi primum ex expeditione in Armeniam suscepta revertit, ne sui Cyaxaris agros plus aequo exhaurirent veritus, illi ut statim in hostium terram proficiscerentur suadet (Cyr. III, 3, 14—16), eademque causa adductus Cyaxares ut alter Persarum exercitus quam primum ex suis finibus exiret curat (Cyr. V, 5, 4).

At ea re, quod Medos Persis socios Xenophon attribuit, nova difficultas orta est; neque enim, etsi tota in narratione ille id sibi proposuit, ut Cyrum, quippe qui suis virtutibus totius Asiae regnum adeptus esset, summis laudibus efferret, fieri potuit, quin Medi, postquam omnium belli laborum ac periculorum participes fuerunt, partem

terrae expugnatae sibi vindicarent eamque maiorem, cum ipsi multo maioribus cum copiis quam Persae in bellum profecti essent. Quam ob rem cum scriptori id agendum esset, ut quam primum Persis summam belli gerendi obtingere narraret, post primam pugnam exercitum Assyriorum devictum persequi nolentem facit Cyaxarem; sed Cyrus, cum sine equitibus nihil perficere posset, avunculum precibus fatigavit, quoad ille eos Medorum, qui sponte Persarum duci se adiungere vellent, sese non prohibiturum esse promitteret, eorumque auxilio hostes fudit ac fugavit, Hyrcanios, qui ad ipsum, non ad avunculum legatos misissent, in fidem recepit, cum Gobrya Gadata Cadusiis Sacis societatem iniit, omnem fere Asiam ipse neglecto Cyaxare expugnavit. Sed cum fieri non posset, ut haec Cyri cum Medis coniunctio per totum bellum permaneret, Xenophon, quia permultum eius intererat Cyrum omnino a Cyaxaris auxilio liberari, novas copias illum, qui tunc demum de totius Asiae expugnatione cogitaret (Cyr. IV, 5, 15—17), domo arcessentem facit. At quamvis magnas copias ille cogeret, tamen, quia una cum Cyaxare bellum gessit, solum eum totius Asiae imperio potiri fas non erat. Fateor; verumtamen Xenophon, ut hanc difficultatem tolleret, Cyaxarem primo equites suos, ubi primum Cyrus suo ipsius et sociorum equitatu niti poterat, summa in Cyrum invidia impletum revocantem, deinde gratia cum sororis filio reconciliata cum parte suorum in finibus regni remanentem facit (Cyr. VI, 3, 2). At Medis sociis Persarum factis fieri non potuit, ut Cyrus Mediae regnum sibi arriperet. Quis negat? At huic difficultati auctor ea re supersedere conatus est, quod Cyrum non vi et armis, sed pace ac connubio imperium Medorum adipisci narrat. Neque vero a me impetrare possum, ut has rerum enodationes comprobem; etenim Cyaxares, quippe qui initio

multo maiores copias quam Cyrus coegisset, penes quem summa belli gerendi fuisset, qui Cyro equites permisisset ad hostes persequendos, qui quinquaginta milia militum ad Croesum debellandum illum sequi iussisset, cum Cyrus ipse septuaginta milia, ceteri socii sexaginta milia militum emisissent, re feliciter gesta maiorem praedae partem sibi vindicare poterat quam pulchram domum, quae doni forma ei datur (Cyr. VIII, 5, 17). At vero quod Cyrus Mediae imperium dotis loco adipiscitur, hoc, quod nobiles Medorum tale quidquam passuros non fuisse puto, cum ne minimam quidem veritatis speciem prae se ferre, tum, quia Cyrus non suo merito aut suis virtutibus, sed casu et forte fortuna, cum Cyaxari neque filius esset et filia illius Cyrum amaret, rerum potitur, eo, quem summis laudibus exornandum scriptor sibi proposuerit, indignum esse mihi videtur; quem Cyrupaediae locum qui legerit, cui non in mentem veniat versus illius famosi:

„Bella gerant alii, tu, felix Austria, nube“!

Atque hoc loco illud nequeo praeterire, quod in simultate inter Cyrum et Cyaxarem describenda Xenophon nonnulla ex sua ipsius vita mutuatus esse mihi videtur. Nonne enim Cyrus eodem modo a Cyaxare ut equitibus sponte ipsum sequi liceret, petit quo Herippidas (Hell. IV, 1, 21—22) ab Agesilao, ut quoscumque equitum Graecorum ut secum proficiscerentur commoveret, eos educere sibi liceret? Quid? Cum Agesilai et Lysandri obtrectatione (Hell. III, 4, 7—10) nonne comparari potest contentio inter Cyrum et Cyaxarem exorta? Nam et Cyaxares et Lysander, quippe quorum bellum geri multo pluris interesset, Cyrum aut Agesilaum, ut operam suam profiterentur ad exercitum educendum, commovere student, deinde illi operam dant, ut ipsi plus a sociis colerentur atque observarentur quam hi, tum quod iniuria sibi inlata esset, que-

runtur, denique tale munus iis defertur, quali nihil valent ad res gerendas, cum Lysander in Hellespontum mitteretur, Cyaxares domi remaneret? Quid vero? Neon et Xenophon nonne simili modo inter se aemulantur atque Cyrus et Cyaxares? Etenim Neon aeque ac Cyaxares concordiae Graecorum impedimento esse non destitit, ne Xenophontem sequerentur militibus peısuadebat (Anab. VII, 3, 7), ut etiam Cyaxares suos, ne in officio Cyri remanerent, impedire conatus est, similiter ac Cyaxares a Graecis in castris remanere iussus a suis omnibus desertus est, ita ut cum paucis tantum senibus relinqueretur (Anab. VI, 5, 4). In universum igitur Xenophon in altercatione Cyaxaris et Cyri describenda Lysandri et Agesilai simultatem secutus esse, singula ex Herippidae et Neonis rebus gestis sibi assumpsisse mihi videtur. Qua in simultate narranda nescio an Xenophon etiam cogitaverit de omnium Graecorum illa inter se obtrectatione, qua commota una quaeque urbs aliam plus ipsa valere non ferendum putabat, quaque adducti, ut Agesilaum medio in Persarum bello sui revocarent, Graeci Lacedaemoniis bellum inlaturi effecerant. Neque vero hic Xenophontem verum rerum eventum, sed id quod ut fieret maxime optabat describere vides, quod hac Cyaxaris invidia socios non inter se discordantes, sed denuo foedus confirmantes facit.

CAPVT TERTIVM

DE MAGNA PVGNA INTER CYRVM ET CROESVM COMMISSA (CYR. VII, 1)

Atque Xenophontem in Cyrupaedia nihil nisi bellum Persarum, quale Graecos gerere volebat, ita descripsisse,

ut Persae Lacedaemoniorum, Medi incolarum urbium Asiae Minoris et ceterorum Graecorum, Assyrii eorumque socii Persarum hostium Graecorum locum obtinerent, satis ostendisse mihi videor. Qua in disputatione illum non solum desideravisse et optavisse intellexisti, ut Graeci Persis bellum inferrent, sed etiam iis, quae in expeditionibus viderat audiverat cognoverat, usum esse ad fabulam fingendam. Sed cum qua ratione ille ex sua vita atque peritia fructum ceperit in Cyrupaedia conscribenda, nulla re melius illustrari censeam quam magno illo proelio, quod committitur inter Cyrum Croesumque, de hoc deinceps uberius, brevius de aliis exemplis agam liceat. Hac enim in pugna describenda Xenophon quomodo proelium apud Cunaxa factum esse desideraret, quomodo vitia tunc commissa vitari, pericula tunc imminentia tolli possent, exposuisse mihi videtur [7]. Qua in quaestione instituenda ante omnia res in pugna apud Cunaxa commissa gestas paucis in animum revocare necesse est (Anab. I, 8):

Atque Graeci regem Persarum appropinquare medio in itinere certiores facti ita acie instructi sunt, ut ipsi dextrum, Persae Ariaei sinistrum cornu obtinerent. Quo facto Cyrus Minor Clearchum in maximam hostium congeriem, ubi rex constiterat, suos statim ducere iussit; neque vero Clearchus, cum mediam hostium aciem cum rege extra Cyri sinistrum cornu esse videret, veritus, ne undique hostes se circumirent, Cyro obtemperavit, sed eos hostium, qui contra ipsum stabant, fugavit fugientesque longius, quam prudentis erat, persecutus est. Sed Cyrus, cum regem sinistrum ipsius exercitus cornu circumiturum animadvertisset, in densissimam hostium aciem, ubi fratrem esse non ignoraret, irrupit iisque, qui ante Artaxerxem constiterant, fugatis, dum sui fugientes persequuntur, regem ipsum aggressus proelio cecidit; quo facto Ariaei milites

impetum Persarum non iam sustinuerunt, sed in σταθμόν, quem mane reliquerant, fugerunt. Nec vero castris Cyri captis Persae Graecos fudisse atque fugavisse suos adversarios certiores facti illos aggressi sunt, sed pedem rettulerunt.

Qua in pugna tres video difficultates, quas qua ratione dux superare possit Xenophon in Cyri institutione demonstrat, primam quod Persae numero multo superiores Cyri milites circumituri videntur, alteram, quod Graeci hostes temere insequuntur, tertiam quod Ariaei milites Cyro necato statim fugiunt.

Atque primum quidem, cum in pugna Cunaxensi Cyri res eo momento in irritum caderet, quo ipse metu ne circumiretur regis turbam adoriri cogitur, Xenophonti de illa pugna cogitanti imprimis in hac quaestione versandum erat, quid Cyrus facere debuerit ad hoc periculum tollendum. Qua in re excutienda quod ille exercitum Croesi vel duobus a lateribus circumeuntem facit Cyrum Maiorem, hoc ea re evenisse mihi videtur, quod fieri non potuit, quin omnes, quicumque de pugna apud Cunaxa commissa meditabantur, hoc animo volverent, quomodo res, si Clearchus Cyri imperata secutus etiam a dextro latere Graecos circumiri sivisset, eventurae fuerint. Sed tantum aberat, ut hoc Cyri Minoris consilium Xenophon probaret, ut, vel si acies etiam a dextro cornu circumventa esset, extremum hostium sinistrum latus adoriendum esse censeret, dummodo ne milites hostes contra ipsos collocatos persequerentur, sed semper ad eos, quos nondum fugientes viderent, signa converterent. Quas res ut Cyrus exponere posset cum necesse esset eum ante pugnam numerum et aciem hostium cognoscere, Araspam Xenophon facit ad Assyrios transfugientem reversumque Cyro quomodo hostes exercitum collocavissent demonstrantem. Neque igitur inopinantes Persas opprimi

ut Graecos apud Cunaxa ille narrare potuit. Sed ut ad propositum redeat oratio, videamus, quomodo Xenophon periculum ab hostibus et numero multo maioribus et a lateribus impetum facientibus imminens tolli posse exposuerit: Ac primum quidem nemo imperator, qui hostium aciem sua multo longiorem fore videbat, id secum reputare non poterat, quantam in altitudinem suos instrueret. Quam ob rem Cyrus hostium multitudine neminem ducem, ut suam aciem tam altam multoque minus latam quam hostium exercitum instrueret, commoveri debere ratus suos, quamquam hostes triginta, quin etiam uno loco centum [8]) pedites gravis armaturae atque equites alterum post alterum collocavisse non ignorat, in altitudinem duodecim [9]) tantum militum instituit (Cyr. VI, 3, 21—22). Quam altitudinem cum legati parvam esse censerent pro densissimo globo hostium, Cyrus, ne militibus timorem iniciat, speciem animi ac fiduciae prae se ferens nil prodesse dicit aciem positam in altitudinem maiorem, quam ut omnes milites armis hostes petere possent. — Atque alteram qua hostibus circumeundi difficultates augeri possent Xenophon profert rationem impedimenta et currus mulierum post aciem collocandi, ita ut hostibus longior circuitus faciendus esset; quam ad rem nescio an auctor etiam ea re commotus sit, quod in pugna ad Cunaxa commissa Graeci ad impedimenta versati fortissime sese defenderant a Persis (Anab. I, 10, 3). Sed ne in impedimenta a lateribus impetus fiat, cornua quoque subsidiis curruum falcatorum Cyrus firmavit, qui hostium phalanges a lateribus procedentes aggrederentur. — Permultum denique operae ac studii Xenophon in eo posuit, ut hostes, qui aciem circumirent, ipsos circumiri posse demonstraret; quam ob rem post impedimenta et currus mulierum Cyrum partem peditum atque equitum ponentem facit, qui eas hostium phalanges, quae ab utroque

cornu accedebant, non tam latas, ut usque ad extremum Persarum agmen pertinerent, et ipsas a lateribus acie directa adorti fugaverunt. Quam rem summi momenti esse Xenophontem putavisse ex eo cognoscis, quod Cyrus ipse dux est impetus a postrema acie in cornua hostium facti.

Qua rerum tractatione cum Xenophon quomodo Cyro Minori apud Cunaxa, ut periculum circuitus tolleret, sui collocandi fuerint, demonstravisse mihi videatur, vide quomodo alia vitia a Cyri militibus ad Cunaxa commissa in proelio Cyrupaediae, ut ita dicam, correxerit. Atque alterum illius pugnae vitium id erat, quod Graeci suos adversarios devictos neglecta altera parte exercitus insequi perseverabant; Cyrus Maior contra, ut cum suis antea ei convenerat, ut, quaecumque pars hostes vicisset, ea semper alteri parti auxilio veniret (Cyr. VII, 1, 20), ita cum sinistrum hostium cornu superavisset, Assyrios non temere insecutus est, sed semper ad hanc hostium partem deflexit, quam pugnantem videbat, ita ut ipso tempore adveniret, ut suos e summa clade servaret. In pugna igitur Cunaxensi recte Graecos facturos fuisse Xenophon censet, si ea parte Persarum, quae ipsis opposita erat, devicta ad mediam dextramque hostium aciem signa convertissent.

Postremo hoc in pugna ad Cunaxa commissa fatale fuit, quod Persae Ariaei Cyro necato statim fugae se mandaverunt neque prius constiterunt, quam ad *σταθμόν* mane relictum pervenirent; quam ob rem Xenophon Cyrum post turbam peltastarum viros fidos collocantem fecit (*τοὺς ἐπὶ πᾶσιν*), qui ne quis fugeret impedirent et qui re vera sagittarios ac funditores cum Aegyptiis confligere cogunt; praeterea Cyrus post *τοὺς ἐπὶ πᾶσι* turres ac machinas instituit, qui Aegyptiorum impetum sustinuerunt.

Et quoniam et quae in magna pugna nostra aliter se haberent atque apud Cunaxa et qua de causa quaeque

Xenophon mutavisset exposui, reliqua fere omnia in utroque proelio inter se similia esse facile cognosces. In utraque enim pugna dextrum Cyri cornu ante ceteros impetu facto barbaros statim fugare, sinistram aut mediam partem vinci primo obtutu vides; in media autem hostium acie et in Cyrupaedia et in Anabasi, cum unius ducis (Abradatae, Cyri Minoris) studio atque audacia impetu in multo maiorem congeriem (*στῖφος*; eadem vox et de Persis circum regem collocatis Anab. I, 8, 13 et de Aegyptiis Abradatae adversariis Cyr. VII, 1, 30 extat) facto hic currus illic *οἱ ἑξακισχίλιοι* (Anab. I, 8, 24) victi essent, maxima pars militum ducibus relictis deflectunt, ut fugientes insequerentur, duces ipsi autem maximum illud *στῖφος* adorti paucis cum amicis fidelibus (*τοῖς ὁμοτραπέζοις* Anab. I, 8, 25; Cyr. VII, 1, 30) mortem occumbunt (Anab. I, 8, 24—29; Cyr. VII, 1, 29—32); tum hostes adversarios statim vehementer premunt, quae fuga in Cyrupaedia primum turribus, denique a Cyro ipso, in Anabasi omnino non sustinetur. Etiam in eo narrationes de Cyro Minore et de Abradata inter se consentiunt, quod de utriusque morte Cyrus Maior vel Graeci postea demum certiores fiunt (Anab. II, 1, 3; Cyr. VII, 3, 3), quamquam in Cyrupaedia, cum Cyrus Aegyptios adortus omnia, quaecumque ibi facta erant, viderit, hoc ne minimam quidem veritatis speciem prae se fert, ita ut Xenophon Anabasis analogia in errorem inductus esse mihi videatur. Atque his quoque has pugnas inter se comparari posse puto, quod et Cyrus Minor et Cyrus Maior Abradatasque ante pugnam praeter totam aciem equitant, deinde quod in utroque proelio ante pugnam altum silentium exsistit (Cyr. VII, 1, 25; Anab. I, 8, 11).

Quoniam igitur quomodo Xenophon in magna Cyrupaediae pugna vitia apud Cunaxa commissa quasi correxerit demonstravi, obiter disputem liceat, num ille iis praeceptis,

quae in narratione pugnae observari desideramus, satisfaciat. Neque enim equidem, quod omnes Xenophontem, quod ad rem tacticam attinet, eximia quadam perspicuitate esse censent, in hac sententia acquiescere possum. Atque primum quidem Xenophontem, cum haud recte sentire mihi videatur de numero Persarum atque Assyriorum, magnam multitudinem militum cogitatione fingere non potuisse puto. Etenim cum tota pugnae descriptione hoc tantum sentias permagnam esse multitudinem Assyriorum, Persarum perparvam, Assyriorum et Aegyptiorum numerus, quantum ex VI, 3, 19 concludere possumus, ducentorum octoginta sex milium militum est, Persarum non minus quam ducentorum milium militum [10]), ita ut neque numero exercitus multum inter se differant et multitudo Babyloniorum meliore Persarum armatura, curribus falcatis, turribus etc. satis superque compensetur. Sed ne numero Assyriorum confidamus, primum ea re impedimur, quod nuntio de hostium multitudine allato Cyri exercitus mirum quantum perculsus est (Cyr. VI, 2, 9—12), tum quod Aegyptii (centum viginti milia militum), si hunc numerum acciperemus, dimidiam fere partem exercitus Croesi implerent, postremo quod exercitu Croesi in tres partes diviso una quaeque pars multo minor fuisset quam multitudo Persarum [11]). Quam ob rem facere non poteris, quin Xenophontem in eo, quod Assyriorum exercitum quadraginta stadia obtinuisse narrat (Cyr. VI, 3, 19), ingentem et innumerabilem multitudinem animo finxisse concedas, praesertim cum simili errore implicatus etiam in pugna apud Cunaxa commissa et hostium et barbarorum Ariaei numerum in maius auxerit. Nam cum secundum Xenophontem copiae regis nongentorum fere milium militum essent, Ctesias Persas quadringenta milia militum habuisse narrat; sed quia etiam Ctesiam maiorem numerum quam re vera pugnavit proferre veri simile est,

nescio an Xenophon, cum Persarum exercitum quadraginta stadiorum spatium obtinere vidisset, numerum barbarorum non recte aestimaverit, ita ut apud Cunaxa non plus ducenta milia militum cum rege Persarum fuisse veri simile sit. — Sed ut quae multitudo Assyriorum pugnaverit in pugna Cyri cum Croeso commissa, Xenophontem haud recte sensisse puto, ita in Persarum quoque numero sunt, quae me offendant. Etenim cum omnium Persarum numerus ducentorum milium militum sit, Cyrus ipse cum duobus tantum milibus militum sinistrum hostium cornu adoritur. Quid ergo? Xenophon Persarum numerum multo minorem esse animo finxit, quam ex Cyrupaediae locis pugnae descriptioni antecedentibus summa facta concludimus? At etiam in pugna Cunaxensi numerum exercitus Cyri Minoris centum duodecim milium militum fuisse Xenophon putat, qui numerus non ita multum differt a multitudine Persarum nostrorum. Xenophon igitur quamquam numerum Persarum nequaquam minorem esse putat quam nos calculo subducto animo concipimus, tamen, quia facere non potest, quin vel in ingenti pugna describenda semper de Graecorum parvis exercitibus rebusque ab illis gestis cogitet, Cyrum Maiorem simili munere fungentem facit ac Clearchum vel Proxenum[12]).

Sed ne quaestionem meam nimis olere dicas disciplinam mathematicorum, hac de numeris disputatione iam missa transeo ad aliud vitium, quod auctorem in pugnae descriptione commisisse puto. Nam cum accuratissime quomodo Cyrus cum duobus milibus militum et Artagerses cum mille militibus et Abradatas cum curribus falcatis et pedestres Persarum copiae prope Abradatam collocatae hostes adorti sint, narretur, quid interea ceteri Persarum pedites atque equites Hystaspae et Chrysantae, id est quid multo maior pars militum Cyri fecerit, prorsus in tenebris iacet, cum

VII, 1, 39 nil nisi „iam adesse“ equitatum cognoscamus. Qui error maxime proprius esse mihi videtur Xenophontis naturae, quippe qui semper res non ratione ac via descripserit, sed quales eas esse animo videret; videt exercitum hostium appropinquantem, videt Cyri agmen quasi parvum laterem in magno positum (Cyr. VII, 1, 24), videt Cyrum Artagersem currus falcatos adorientes Abradatam morientem, videt omnes vulnerantes et vulnerari, protrudentes, pugnantes (Hell. IV, 3 19; Ages. II, 12), videt Aegyptios trucidari, audit proelii strepitum ac tumultum (Cyr. VII, 1, 35; Ages. II, 12), animadvertit altum ante pugnam silentium. Itaque quia omnia, quae describit, quasi sensibus percipere solet, penitus insitum est eius naturae atque ingenio singulas pugnae imagines potius nobis depingere quam pugnae imaginem. Et quoniam in Anabasi semper singulae res, quae oculis facile obiri poterant, narrandae erant, ex hac Xenophontis comtemplationis perspicuitate magnam partem orta esse mihi videtur Anabaseos venustas atque elegantia.

Age vero reliqua, quae in pugnae narratione reprehendam, qualia sint consideremus. Atque tertium hoc me offendit, quod Xenophon, quamquam primo Pharnuchum cum equitibus prope Artagersis pedites, quibuscum in hostes incurrat, collocatum facit, postea Artagersem solum in hostes impetum facere narrat, scilicet quia equites camelos sequi non possunt (Cyr. VII, 1, 27), Pharnuchi autem omnino mentionem non iam facit. Sed hoc levius est; quarto vero maxime in eo haereo, quod Xenophon iaculatores funditores sagittarios Cyrum post gravem armaturam collocantem facit (Cyr. VI, 3, 24). Etenim ut funditores lapides mittendo super gravem armaturam hostes ferire potuisse concedam, qua ratione iaculatores pilis super primores missis Assyrios vulnerare potuerint, difficillime, quomodo sagittarii hostibus nocere potuerint, om-

nino non assequor, praesertim cum ante levem armaturam non solum gravis armatura, sed etiam currus falcati collocati fuerint. Quam ob rem cum Xenophontis scripta, ut simile aliquid invenirem, perscrutarer, in pugna Munychiae facta sola levem armaturam post gravem constitisse repperi (Hell. II, 4, 12. 15); at hoc proelium, cum in vicis oppidi commissum sit et plebei ex superiore loco pugnaverint, cum aperta acie comparari non potest. — Denique hoc in pugnae descriptione reprehendam, quod sociorum, Cadusiorum Sacarum Hyrcaniorum Armeniorum Medorum, qui multo plures essent quam Persae, mentio omnino non fit praeter Abradatam, ita ut Persas solos dimicare credas [13]).

Quoniam igitur in pugnae descriptione permulta sunt, quae me offendant, a me impetrare non possum, ut iis assentiar, qui Xenophontem. quod ad rem tacticam attinet, reprehensione maiorem esse censeant. Sed iam me sentio longius esse provectum quam proposita ratio postularet. Paululum enim aberravi a recta via disputationis, ut quae vitia Xenophon in magna Cyrupaediae pugna narranda commisisset exponerem, non quo nihil antiquius haberem, quam ut huius pugnae descriptionem condemnarem, sed quia ex talibus erroribus propriis naturae Xenophontis ingenium eius melius cognosci puto. Verum ut ad id, unde degressa est oratio, revertamur, pergam liceat exponere, quomodo auctor iis, quae ubique viderat audiverat cognoverat, in fabula fingenda usus sit.

Atque etiam primae pugnae cum Assyriis commissae initium consentit cum exordio pugnae Cunaxensis. Etenim tessera per aciem data (Cyr. III, 3, 58; Anab. I, 8, 16—17) et Graeci et Persae, postquam carmen ad auxilium Martis implorandum decantaverunt (*τὸν παιᾶνα* Cyr. III, 3, 58; Anab. I, 8, 17), primum lente progrediuntur (Cyr. III, 3, 59; Anab. I, 8, 17), deinde (postquam in Cyrupaedia velites

Assyriorum fugerunt) nonnulli currere incipiunt (Cyr. III, 3, 61: δρόμου τινὲς ἦρξαν; Anab. I, 8, 18: ἤρξατο δρόμῳ θεῖν), donec tota acies cursu in hostes tendit (Cyr. III, 3, 61; Anab. I, 8, 18); tum ubi Persae strepitum fecerunt ad virtutem inter se cohortationibus excitando (Cyr. III, 3, 61—62), Graeci clamore belli sublato (Anab. I, 8, 18), barbari impetum eorum non sustinuerunt, sed nulla dimicatione facta terga verterunt (Cyr. III, 3, 64; Anab. I, 8, 19) Graecis aut Persis insequentibus (Cyr. III, 3, 64; Anab. I, 9, 19—20).

Sed haec quidem hactenus; tertio autem de irruptione Cyri in Armeniam facta disputare liceat. Atque Xenophon cum ipse in reditu Graecorum duos introitus Armeniae esse cognovisset, alterum natura commodum, quo Orontas ceterique Persae uti solebant, alterum difficillimum, quo Graeci ipsi in Armeniam invaserant, Cyrum in Carduchorum montes, quippe qui perpaucis tantum hominibus aditum praesaepientibus nullo modo vel a maximo exercitu occupari possent (Anab. III, 5, 15), veritum ne rex Armeniae eo confugeret, improviso milites immittentem facit. Sed ne montes, in quos Armenius confugere solet (Cyr. II, 4, 13), eosdem esse ac Carduchorum sedes temere a me contendi existimes, respicias quaeso hoc regis Armeniorum refugium, quia Cyrus in expeditione suscipienda e Cyaxaris castris proficiscitur haud procul a confiniis Assyriorum collocatis et Chrysantas tam celeriter in montes invadit, et prope Assyriorum et prope Armeniorum fines situm esse; quae sententia optime ea re comprobatur, quod Cyaxares, quamquam II, 4, 17 sese castella ad fines Assyriorum sita muniturum esse profitetur, tamen facere potest, ut haud procul a Cyro abesset (Cyr. II, 4, 17; III, 3, 5). Chrysantas igitur sedes Carduchorum invasisse, Cyrus eadem via atque Orontas in Armeniam intravisse mihi vide-

tur. Sed rege Armeniorum sub dicionem redacto quod Cyrus Chaldaeos aggreditur, eodem itinere eum profectum esse puto quo decem milia Graecorum in fines Chalybum contenderunt. Neque enim, quin Chaldaei Chalybesque una eademque gens sint, dubitare potest quicumque Anab. V, 5, 17 accurate legerit, quo loco Graecos per fines Chaldaeorum iter fecisse Xenophon ipse dicit, quamquam antea Chalybum tantum mentionem fecit; idem statuit Strabo, qui nomina Chaldaeorum Chalybumque eidem populo esse exponit. Accedit, quod etiam singulis morum proprietatibus Chalybes Anabaseos cum Chaldaeis nostris consentiunt; utrique enim, cum terram montuosam incolant, re pecuaria victum quaeritant (Cyr. III, 2, 20; Anab. IV, 6, 17), altis montium iugis ab Armeniis disiunguntur, feroces sunt et bellicosi (Cyr. III, 2, 7; Anab. IV, 7, 15), parvis clipeis utuntur (*γέρροις* Cyr. III, 2, 7; Anab. IV, 6, 26), cominus cum hostibus pugnare non verentur (Cyr. III, 2, 8—10; Anab. IV, 7, 15); sed iis, qui in Anabasi Chaldaei nominantur, nostri Chaldaei ea re similes sunt, quod utrique mercede militant. — In invasionibus vero, quas Chaldaei in fines Armeniorum facere solebant, describendis Xenophon in animo habuisse mihi videtur bella, quae Carduchi cum Armeniis gerere non destiterunt. Etenim Carduchi quoque gens fortissima loca montana incolunt et aeque ac Chaldaei ut in finibus Armeniae multum agri coli omnino non posset effecerunt (Cyr. III, 2, 2; Anab. IV, 4, 1). — Nec vero in regionibus modo ac terris explicandis Xenophon expeditionem Cyri Minoris respexisse mihi videtur, sed etiam universam Armeniae invasionem non dissimilem puto irruptionis Cyri Minoris in Ciliciam factae. Etenim ut rex Armeniorum, si quis fines eius aggreditur, cum Armeniis (Cyr. III, 1, 4) in montes confugit, ita Syennesis rex Ciliciae, ubi cum plerisque Cilicum montes fuga petivit (Anab.

I, 2, 24), numquam in manus viri plus ipso valentis sese devenisse profitetur (Anab. I, 2, 26). Praeterea Cyrus Minor Menonem iubet semitis montes transgressum Syennesim inopinatum opprimere, similiter ac Chrysantas a Cyro Maiore ad montes occupandos mittitur (Anab. I, 2, 20—21). Universum vero expeditionum Cyri Maioris et Minoris initium idem est; uterque enim Cyrus copiis coactis postquam milites inspexit (Cyr. II, 4, 1; Anab. I, 2, 9) et iocis ludisque eorum delectatus est (Anab. I, 2, 17; Cyr. II, 2; II, 3, 17—20), difficultate nummaria pressus, cum hic in Armeniam, ille in Ciliciam invasionem fecisset, et a rege et a regina pecunia donatur.

CAPUT QUARTUM

DE PANTHEA ABRADATAE UXORE

Quibus rebus expositis satis mihi multa verba fecisse videor, quid Xenophon animo agitavisset in Cyri institutione conscribenda; vidisti Cyrupaediam non verum rerum eventum tradere, sed fabulam esse libero auctoris arbitrio excogitatam; vidisti scriptorem hac in fabula fingenda cum id egisse, ut optimam civitatis formam exprimeret, tum ut bellum Persarum describeret, quale suis temporibus omnes Graecos gerere volebat; vidisti in singulis narrationis partibus depingendis illum persaepe usum esse iis, quae ubique viderat audiverat cognoverat, eaque, ut ita dicam, correxisse vel ita quidque descripsisse, ut factum esse desiderabat. Sed quoniam in omni quaestione de fabula qualibet instituta non sufficit id respicere, quid auctor sibi proposuerit vel quem ad modum narrationes sibi finxerit, sed id quoque reputandum est, utrum scriptori propositum feliciter

cesserit necne, necesse videtur de Cyrupaediae arte atque opere me disputare. Qua in quaestione non minus illorum sententiam reiciendam esse puto, qui Cyri institutionem propter nullam aliam causam nisi quia ab homine Graeco conscripta est, summa arte compositam esse censeant atque opinionem suam singulis quibusdam Xenophontis narrationibus comprobare conentur, quam eorum, qui totum opus taedii plenum esse rati omnia condemnent.

Atque his quidem concedendum est Xenophontem in vitium omnium, quicumque fabula composita lectoribus praecepta tradere student, ut narrationi praeceptis nonnumqnam obscuratae soporiferum aliquid inesset, saepius induci; concedendum est vehementes grandesque animi motus concitationesque et a Xenophontis et a Cyri natura prorsus alienas esse, ita ut Cyrus, quem ille quasi normam et specimen omnium virtutum proponat, animi magnitudinem minus prae se ferat quam ipsius Xenophontis mediocritatem; virtutibus sane Cyrum abundare adeoque abundare, ut nescio quomodo taedium nos capiat omnium illarum virtutum; concedendum denique est Cyro permulta aut casu aut stupore hostium obtingere, ita ut secunda fortuna plus quam ingenio excellere videatur; eum vero, qui summis laudibus efferendus sit, omnibus virtutibus exornare, vitiis omnibus exsolvere, nulla animi concitatione, nullo mentis conflictu perturbare, ab omni calamitate ac miseria diligentissime tueri mediocris animi esse. Sed vereor, ne molestus sim, si de tam perspicuis rebus diutius disseram; quam ob rem ut sententiam illorum tantum examinemus, qui Cyrupaediae magnam laudem tribuendam esse imprimis ex narratione de Pantheae amore et morte comprobare student Wielandium nostrum secuti, primum, quo facilius hanc fabulam intellegamus, quid Xenophon in

ceteris scriptis de femina se sentire aperuerit, deinde quid de Panthea iudicem, disseram.

Atque tantum abest, ut Xenophon ferreo contra mulieres animo fuerit, ut quamcumque poterat commemorare feminam, de hac saepe plus quam necessarium erat narraverit. Videsne ut ille in historia Graeca permulta referat de Mania regina (Hell. III, 1, 10—14), videsne ut de filia Spithridatae ab Agesilao regi Paphlagonum in matrimonium data (Hell. IV, 1, 4—15) tam late agat, ut hoc vel indignum esse videatur eo, qui historiam conscribat? Quid? Quod Xenophon quemadmodum Alexandri Thessali uxor ut maritus interimeretur curaverit et quare tanto illius odio inflammata fuerit, uberius exponit (Hell. VI, 4, 35—37), nonne hoc ad Ctesiae historiae narrandae rationem propius accedere apparet quam ad Thucydidem, quem imitandum Xenophon sibi proposuerit? Quid? De Epyaxa regis Ciliciae uxore amica Cyri Minoris nonne sentis Xenophontem libenter narrantem, non de eiusdem meretrice femina pulcherrima ac prudentissima (Anab. I, 10, 2—3), non de filia magistri pagi non amplius octo dies nupta (Anab. IV, 5, 24), non de Theodota meretrice (Mem. III, 11), non de amore saltatoris et saltatricis (Symp. 9)? Quid vero? Xenophon ipse nonne optimum quemque formositati feminae adeo non resistere posse putabat, ut breve tantum tempus virum, ne stulto amore inflammaretur, pulchram mulierem conspicere debere censeret (Cyr. V, 1, 16)? Non de pulchris magnisque Persarum feminis ita loquitur, ut animum eius admirationis plenum fuisse appareat formositatis earum (Anab. III, 2, 25)?

Neque vero Eroti minus quam Veneri Xenophon cessit. Etenim ut ipse pulchrum iuvenem osculari sese minime vereri aperte fatetur plurimorum Graecorum sententiam secutus (Mem. I, 3, 10), ita in scriptis suis saepius plura verba facit de pulchris pueris quam res postulat. Velut

uberius exponit, quomodo Archidamos ab Agesilao, ut Sphodrias pater amatoris ipsius absolveretur, impetraverit (Hell. V, 4, 25—33), Alcetae pueri formosi amore factum esse, ut Oreum Euboeae Thebani occuparent, praetermittere non potest (Hell. V, 4, 57), qua ratione filius magistri pagi a milite quodam amatus in Graeciam ductus sit, refert (Anab. IV, 6, 3), Pharnabazi filium, cum in Graeciam fugisset, ab Athenaeo quodam amatum esse (Hell. IV, 1, 40) omittendum non putat. Qui amor pulchrorum adulescentium adeo innatus erat Xenophonti, ut de filio Maniae a Midia interempto nihil aliud commemoraret nisi formosissimum eum fuisse atque aetate floruisse (Hell. III, 1, 14), quin etiam aetatem iuvenis cuiusdam ea re indicaret, quod eum etiam tunc formosum fuisse dicit (Hell. IV, 1, 39: *καλὸς ἔτι ὤν*). Quarum de pulchris adulescentulis narrationum suavitatem quandam prae se fert ea, quam Xenophon de Episthene Olynthio memoriae prodidit, qui ipse pro puero formoso mori studebat (Anab. VII, 4, 7—11); quae narratio eiusdem generis esse mihi videtur ac fabellae a Ctesia, quantum videre possumus, rerum historiae insertae. Neque vero Xenophon, quamvis magni formositatem corporis aestimaret, ex obscoenis cupiditatibus amorem proficisci debere putabat, sed e pulchro pueri animo atque indole et Socratis praecepta (Symp. VIII) et Lacedaemoniorum morem (RL. II, 13) secutus. Cuius rei in Cyri institutione exemplum profert Artabazum Cyri amantem (Cyr. I, 4, 27—28; passim), cum Artabazus Cyri pulchritudinem admiratus postea summae utilitati ei esset, sed numquam ad tantam dementiam procederet, ut mala cupiditate inflammaretur.

Qui Xenophontis amor et mulierum et puerorum, cuius multa insuper exempla afferre possum leviora, nescio an confirmatus sit ea re, quod diuturnus ei usus ac consuetudo erat cum militibus mercennariis. Etenim Graeci, qui

cum Cyro Minore regi bellum intulerant, quamvis vehementer domum redire cuperent ad uxores liberosque, tamen magnam multitudinem puerorum captorum et amicarum secum ducere consueverant (Anab. IV, 3, 19. 30; V, 4, 33; VI, 1, 12—13), ita ut vel duces, quin milites captivos relinquere iussi adulescentulos formosos mulieresque sibi occultarent, impedire non conarentur (Anab. IV, 1, 14). Atque ut Xenophon, ne Graeci, ubi primum pulchrarum et magnarum Persarum mulierum consuetudine uti consueverint, domum redire obliviscantur, veretur (Anab. III, 2, 25), ita Cyrus Aegyptiis, si in Assyria remaneant, praeter alia etiam feminas se iis daturum esse promittit (Cyr. VII, 1, 43). Quem militum mercennariorum usum amicas secum ducendi, cum ipsorum feminae liberique domi remansissent, Xenophon non aperte quidem vituperavit, quia ex ipsa natura humana sequitur, sed laudare prorsus alienum erat ab iis, quae ille omnino de sexu muliebri sentiebat. Etenim admiratione penitus imbutus erat eius inter virum ac feminam amoris, qui vel mortis periculo non dissolvatur. Tigranem igitur et a coniuge adeo amari narrat, ut in neminem illa nisi maritum oculos converteret, ipsumque adeo uxorem amantem facit, ut libenter pro ea mortem subire vellet (Cyr. III, 1, 36. 41). Atque in universum nescio an id, quod Xenophon censuerit de amore coniugum, similitudinem quandam prae se ferat cum iis, quae in carminibus quae nominant populi exprimantur. Nam omnes, quarumcumque Xenophon mentionem facit mulierum et puellarum, eximia quadam pulchritudine ac formositate exornatae sunt; neque enim viro iucundius quidquam esse ille sibi persuasit quam feminae formositatem (Hell. IV, 1, 7), ita ut etiam Abradatae, qui anima efflata uxorem pulcherrimam non iam videre posset, fortunam deploraret (Cyr. VII, 3, 13); omnes nulla alia re nisi casto amore ut nuberent commoventur,

omnes nonnisi eum, cui nubere conantur, amant vel osculantur. Qua re etiam factum est, ut Xenophon, quippe qui Mediam dotis forma Cyro obtingere narrandum sibi proposuerit, Cyaxaris filiam ab ineunte aetate Cyrum amavisse interrogatamque, cui nuptura esset, Cyro respondisse referat. Quin etiam saltatorem saltatricemque, quos in Convivio quod inscribitur commemorat, re vera inter se amantes facit, scilicet eos, nisi Venere coniuncti essent, fabulam amatoriam, ut ita dicam, agere non ferendum esse ratus (Symp. IX). Atque similiter tyrannos Thebarum homines Venerios, quia aliorum feminis concumbere conantur, pro viris nequissimis sese habere fatetur (Hell. V, 4, 4). Sed quisquis feminam in matrimonium duxit, eum omnium hominum illam maxime amare et colere putat (Cyr. V, 5, 30), summoque in honore eas mulieres esse censet, quae cum marito optime concinant ac congruant (*συναρμοττούσας* Cyr. VII, 5, 60). Qua inter virum feminamque concordia quomodo omnes res feliciter geri possent, huius rei praeclarum Xenophon specimen Ischomachi eiusque uxoris in Oeconomico profert; atque ex iis feminae officiis, de quibus ille in hoc libro agit, praeter cetera id maxime innatum esse muliebri naturae crediderim, quod uxor Ischomachi aegrotos curare iucundissimum dominae officium esse putat (Oecon. VII, 37; cf. Cyr. V, 1, 18); quibus feminae officiis si uxor satisfaceret, libenter se ei quasi servum fore (Oecon. VII, 42) Ischomachus exponit iudicioque feminae sese submittere non abhorrere putat a viri dignitate (Oecon. XI, 25). Neque minore uxoris amore Croesus aut Cyrus flagrant; nam ut Croesus, ubi victor vitam ei condonavit, omnium primae uxoris mentionem facit, qua neminem magis amaret (Cyr. VII, 3, 28), ita Cyrus moribundus coniugi supremum vale dicere amicos iubet (Cyr. VIII, 7, 28). Itaque Xenophon cum coniugum fidum inter se amorem permagni aestimaret,

Cyrum semper facit gaudentem, cum virum feminamque inter se amantes videt, atque hanc laetitiam saepius ea re significantem, quod viros amantes affabiliter ludificatur. Velut Cyrus, cum Tigranem uxorem vehementissime diligere cognovisset, ubi ille sese vel calonis sarcinarii loco in bellum profecturum esse dixit, qua ratione coniugi maritum servili munere fungentem placere posse Tigranes putaret iocatur (Cyr. III, 1, 42—43); sed cum illius uxor maritum super omnia dilectum in bellum secuta esset, Cyrus hac re mirum quantum commotus regulo Armeniorum ornamentum muliebre tradidit, quod uxori quasi amoris praemium donaret (Cyr. VIII, 4, 24). Summo vero gaudio Cyrus (similiter atque Agesilaus) impletur, cum virginem viro in matrimonium dare potest, ita ut ipse sese huius artis peritissimum esse gloriaretur (Cyr. VIII, 4, 18); sed Hystaspam, ubi primum Gobryae filiam, cui brevi ante magnam vim pecuniae dotis forma donavit (Cyr. V, 2, 8), uxorem ei dedit, statim, quod magnam urbanitatis opinionem apud illam habere cuperet, ludibrio habet (Cyr. VIII, 4, 23). Neque vero a corporis voluptatibus Xenophontis natura abhorret; nam ut spadonis fortunam miserrimam esse putabat, ita quasi cumulus fastigiumque amoris consuetudo uxoris ei videtur esse. Quae res cum ultimo Convivii capite optime illustratur tum egregio illo loco, quo Tigranis uxor neminem nisi coniugem summo in periculo sese conspexisse fatetur (Cyr. III, 1, 41): Vehementissime enim omnes erant commoti, veritae erant mulieres, ne rex Armeniae capitis damnaretur ipsaeque in servitutem abstraherentur; timore liberatae erant Tigranis defensione patris; Tigranes interrogatus, quo pretio ne uxor serva abduceretur, emeret, sese pro illa vel mortem subire velle professus erat; admiratae erant omnes mulieres liberalitatem Cyri, sed cum Tigranes e nova nupta quid de Cyro sentiret, quaesivisset,

admirabili quadam et simplicitate et ardore sese neminem omnino vidisse respondet nisi eum, qui vel morti, ne ipsa aliquid mali acciperet, sese libenter obicere dixisset; deinde cum nox omnem animi concitationem omnemque timorem quasi caliginis velo obtexisset, Tigranes et uxor a Venere vincuntur. Quo ex testimonio nonne intellegis Xenophontem strepitu armorum bellique tumultu numquam facultatem amisisse teneros castosque animi humani motus audiendi? [14])

Exposui primum a Xenophontis natura non abhorrere fabulas amatorias, ut ita dicam, historiae inserere, quin etiam nonnullas earum similes esse Ctesiae narrationibus, deinde amorem coniugum, qui vel morte non dissolveretur, eum laudibus efferre, non quo illius sententiam animi quandam magnitudinem prae se ferre putarem, sed Pantheae descriptio primo obtutu prorsus aliena videtur esse ab eius natura, ita ut non desint, qui nonnisi Ionico historiae conscribendae more illum ut hanc fabulam historiae adiungeret adductum esse censeant. Quem scriptorum usum ut Xenophontem imitatum esse concedam, tamen ut talem fabulam fingeret ex proprietatibus quoque penitus eius naturae innatis evenisse non obliviscendum mihi videtur. Atque huius fabulae argumentum amor est uxoris maritum super omnia diligentis (cf. Cyr. VI, 4, 5) eoque mortuo vitam non iam ferentis, quod argumentum neque viri arte aut ingenio florentis et aptissimum esse vides ad ea, quae supra de Xenophontis natura disputavimus. Neque igitur universae narrationis argumento, sed singulis, ut ita dicam, imaginibus optime depictis suavitas fabulae nostrae nititur. Quid? Pulcherrimam esse Pantheam nonne sentis ex Araspae narratione (Cyr. V, 1, 4—7), non liberalis feminae tibi videtur esse, quod de Araspa illa apud Cyrum primo non conqueritur (Cyr. VI, 1, 32), non rerum domesticarum suavis imago, quod arma mariti clam emetitur, ut novum

thoracem ei fabricaretur (Cyr. VI, 4, 2)? Quid? Quod Panthea, postquam hunc thoracem lacrimis, etsi dolorem celare studet, effusa coniugi induit (Cyr. VI, 4, 3), cum Abradatas sellam currus ascendisset, illam exosculata maritum iam curru vectum sequi non prius desistit, quam a comitibus domum redire cogitur (Cyr. VI, 4, 10—11), haec nonne poetice narrata tibi videntur? Quid vero? Bonae observationis naturae muliebris virilisque nonne hoc est, quod, cum Panthea currum mariti statim sequeretur, Abradatas initio non convertit ad uxorem salutandam (Cyr. VI, 4, 10)? Quarum de Panthea narrationum longe optima est fabula de eius morte. Etenim cum Cyrus ad Pantheam capite mortui mariti in genibus suis posito ad Pactolum flumen sedentem (Cyr. VII, 3, 5—15) advenisset manumque Abradatae comprehendisset, illa, quippe quam Aegyptius quidam gladio praecidisset, de bracchio dissoluta est; quae cum Panthea vidisset, manum exosculata cum lacrimis rursus ad bracchium, ut poterat, affixit; deinde postquam sua ipsius culpa factum esse, ut maritus mortem occumberet, lamentata ipsa gladium sibi infixit, caput inclinans ad pectus viri amati eodemque quo ille velo obtecta animam efflavit.

Vides igitur narrationem de Panthea non imbutam esse animi altitudine, non mentis ardore aut perturbatione, sed singulis imaginibus optime depictis suavitatem quandam prae se ferre. Qua e Xenophontis singula describendi indole et proclivitate et Anabaseos iucunditatem magnam partem ortam esse et evenisse puto, ut historia Graeca fere non ferenda sit; cui cum singulas narrationes ille inseruerit per se quidem non ingratas, sed magna historia indignas, universam fere rerum tractationem dissolvit in singulas narrationes hoc saepius neglecto, quomodo omnes res inter se cohaererent. Confirmari igitur vides, quae supra de Xenophontis ingenio attuli in pugnae descriptione

examinanda, singulas imagines illum depingere posse, non posse universam imaginem. Hac quoque re imaginem arte poetica non carentem Xenophon ante oculos proponere mihi videtur, quod Cyaxaris filiam, quae iam parva puella sese nemini nisi Cyro saepius ipsi blandito nupturam esse dixit, postquam hic laudibus florere coepit, victori coronam virtutis seque ipsam uxorem facit offerentem (Cyr. VIII. 5, 18—19).

CAPUT QUINTUM
DE EPILOGO CYRUPAEDIAE

Et quoniam quas rationes Xenophon secutus esset in Cyri vita ac disciplina conscribenda, has, quantum a viris doctis neglegi puto, excussi, ad finem huius disputationis iam pervenissem, nisi omnibus, quicumque denuo quaestionem de Cyri institutione movent, quid sentiant de extremo Cyrupaediae capite, quem viri docti „epilogum Cyrupaediae“ nominant, profitendum videretur. Infinita autem esset oratio, si omnium, quae proferri possunt ad hoc caput aut defendendum aut condemnandum, argumentorum rationem haberem; itaque hanc rem non prorsus quidem perscrutandam, sed id tantum mihi proposui, ut primum hoc epilogo comparato cum media laudationis in Agesilaum parte novum argumentum, ex quo et illum et „Agesilaum“ germanos esse appareret, proferrem, deinde quomodo epilogus consentiret cum ceteris, quae Xenophontem spectavisse in Cyri institutione conscribenda supra commemoravi, exponerem.

Atque primum quidem ut intellegatis et in media Agesilai parte et in epilogo nostro, quicumque auctores

haec capita conscripserunt, hos quadripertita uti distributione ex virtutibus *εὐσεβείας, δικαιοσύνης, ἐγκρατείας, ἀνδρείας* (cf. p. 15 huius disputationis) expressa, dispositionem et capitum III—VI Agesilai et epilogi Cyrupaediae proferre liceat. Etenim auctorum nostrorum postquam ille Agesilaum permultas res gloriose gessisse, hic Cyrum permagnum regnum constituisse testimonio non iam egere commemoravit (Cyr. VIII, 8, 1: *αὐτὴ ἑαυτῇ μαρτυρεῖ*; Ages. III, 1: *μετὰ πλείστων μαρτύρων ἐπράχθη· οὐ τεκμηρίων προσδεῖται*), uterque, ut perpendat, utrum mores Agesilai aut Persarum probandi sint necne, has res mentis oculis perlustrat:

I. Agesilai Persarumque pietas et religio examinantur (Cyr. VIII, 8, 2—5; Ages. III, 2—5).

Ages.	Cyr.
τὰ θεῖα οὕτως ἐσέβετο. III, 2:	*ἄρξομαι διδάσκων ἐκ τῶν θείων.* VIII, 8, 2:
Agesilaus iure iurando (*ὅρκους*) semper stetit vel erga hostes (*καὶ οἱ πολέμιοι*),	Persae ante scriptoris aetatem iure iurando (*ὅρκους*) semper steterunt vel erga nequissimum quemque hominem (*καὶ τοῖς τὰ ἔσχατα πεποιηκόσιν*)
ita ut hostes foederibus eius (*σπονδάς*) semper confiderent.	neque fidem dextra data confirmatam (*τὰς δεξιάς*) umquam laedebant.
Quam ob rem hostes libenter fidei Agesilai se tradebant (*αὑτοὺς ἐνεχείριζον*).	Quam ob rem duces Graecorum, qui cum Cyro Minore regi bellum intulerant, fidei Persarum se tradiderunt (*ἐνεχείρισαν ἑαυτούς*), sed fraude decepti sunt.

Quae Agesilai pietas exemplis illustratur Spithridatae, Otyos, Pharnabazi (3—5).	Quae Persarum auctoris aetate viventium impietas insuper exemplis illustratur Mithridatis et Reomithrae (4).

II. De iustitia Agesilai et Persarum, quod ad pecuniam attinet (Cyr. 6—7; Ages. IV).

Ages.	Cyr.
εἰς χρήματα δικαιοσύνη. IV, 1:	εἰς χρήματα τῇδε ἀδικώτεροι. VIII, 8, 6:
Nemini Agesilaus divitias eripuit, sed suae immemor utilitatis omnibus libenter gratificabatur.	Omnibus Persarum amplissimi fortunas eripiunt.
Praestare igitur dixit exercitum quam ipsum divitiis exornari (6).	Inviti igitur omnes conveniunt ad exercitum regis veriti, ne fortunis priventur (6).

III. De Agesilai et Persarum ἐγκρατείᾳ (Ages. V; Cyr. VIII, 8, 8—19).

Ages.	Cyr.
1) Agesilaus abstinebat et ebrietate et cibo immodico (1).	1) Persarum et cibi potusque et alii temperantiae mores conversi sunt (8—12), quorum morum, quia proprii erant gentis Persarum, maxima pars in Agesilao commemorari non potuit. Liberorum educatio apud Persas perversa est (13—14).

2) De Agesilai duritia et patientia (2—3; 2: *μαλακία, καρτερία*).	2) De Persarum mollitie atque ignavia (15—19; 15: *μαλακία, καρτερία*).
a) Quod ad lectos et somnum attinet (2).	a) Quod ad lectos et somnum attinet (16). atque ad novos cibos inveniendos (16).
b) Quod ad aestus et frigora perferenda attinet (3: *ἐν μὲν τῷ θέρει, ἐν δὲ τῷ χειμῶνι*).	b) Quod ad aestus et frigora perferenda attinet (17: *ἐν τῷ χειμῶνι, ἐν τῷ θέρει*).
c) Quod ad labores subeundos attinet (3).	c) Quod ad labores subeundos attinet (19; cf. 8, 12).

Optime hos locos congruere vides, praeterquam quod in Cyri institutione pauca ac leviora insuper inserta sunt, scilicet mentio inventorum novae voluptatis (16) atque indignatio Persici pocula comparandi moris (18).

3) Adiungitur Agesilaum a voluptatibus corporis abstinuisse, quam rem minus aptam esse vides ad Persarum morum descriptionem.	

IV. De bellicis Agesilai virtutibus, Persarum rei militaris inscientia (= *ἀνδρεία*; Ages. VI; Cyr. VIII, 8, 20—26).

Quam ob rem cum non solum dispositionem epilogi nostri et Agesilai expressam esse e quattuor summis virtutibus *εὐσεβείας*, *δικαιοσύνης*, *ἐγκρατείας*, *ἀνδρείας*, sed etiam singularia optime inter se consentire vix quisquam negare possit, quid est quod dubitemus, quin haec capita ab uno eodemque scriptore confecta sint? An alterum alteri rationem sententias disponendi quasi e cerebro sur-

ripuisse putas? Cui igitur hos locos attribuamus, Xenophonti an alii cuidam scriptori? Xenophonti dico. Hoc enim et per se veri similius est et ea re comprobatur, quod ille saepe non solum diversis locis una eademque partium distributione utitur, sed etiam summas illas virtutes nonnumquam usurpat ad mores unius viri aut totius gentis examinandos. Sed ne quis Beckhausium secutus manes Xenophontis Minoris ex inferis nunc eliciendos esse censeat, huius rei non omnia, sed pauca tantum testimonia deinceps mihi afferenda esse intellego.

Atque ut primum nonnulla exempla proferam, e quibus Xenophontem saepius eodem membrorum ordine uti eluceat, ante omnia comparemus quaeso caput illud Commentariorum (Mem. III, 3), quo Socrates cum iuvene quodam de officiis magistri equitum disputat, cum primo capite Hipparchici (Hipp. I, 3--7. 13—24). Atque utriusque loci argumentum dividi posse puto in partes duas, unam, quae est de equis (Hipp. I, 2—4. 13—16; Mem. III, 3—4), alteram, quae est de equitibus (Hipp. 5—7. 17—24; Mem. 5—15); equorum autem et in Commentariis et in Hipparchico primum commemorantur ii, qui *οὐ δύνανται ἀκολουθεῖν* (Mem. 4; Hipp. 13; 3: *ὡς ἂν δύνωνται πόνους ὑποφέρειν*), deinde *οἱ βίαιοι* vel *ἀπειθεῖς* vel *ἀνάγωγοι* (Mem. 4; Hipp. 14. 3), tum *οἱ λακτισταί* (Mem. 4; Hipp. 15. 4), postremo in Hipparchico solo de pedibus equorum exercendis agitur (Hipp. 16. 4), quae praecepta, quia nonnisi ad viros artis equitandi peritos pertinent, in Commentariis omitti (Mem. 4 equi *κακόποδες* et *κακοσκελεῖς* cum iis, qui *ἀκολουθεῖν οὐ δύνανται*, coniunguntur) nemo est qui miretur. Equites vero utilissimos fore Xenophon exponit, si magister primum curavisset, ut equum conscendere discerent (*ἀναπηδᾶν* Hipp. 17. 5; *ἀναβατικώτεροι* Mem. 5), deinde ut ubivis equo vehi consuescerent (Hipp. 18—20. 5; Mem. 6), tum ut

tela ex equis mittere possent quam plurimi (*ὡς πλεῖστοι* Hipp. 21. 6; Mem. 7), denique ut dicto essent audientes (Hipp. 24. 7; Mem. 8—15; *ἄνευ γὰρ τούτου οὔτε ἵππων οὔτε ἱππέων . . . οὐδὲν ὄφελος* Mem. 8 et Hipp. 7; magister equitum suos etiam oratione ad officium commovere debet Mem. 10—15; Hipp. 24). Optime igitur hos locos inter se congruere videtis, praeterquam quod Mem. 7 pauca de animis militum confirmandis, Hipp. 6 et 22 pauca de equitibus armandis inserta sunt.

Sed haec quidem hactenus; alterum autem exemplum, ex quo Xenophontem saepe eodem rerum ordine uti comprobaverim, paucis tantum ex enuntiatis compositum est; neque vero, quia una quaeque sententia eodem modo utroque loco legitur, ita ut altero alterius verba nonnisi planius explicari videantur, hoc testimonium omittendum esse puto, praesertim cum tales locos permultos apud Xenophontem inveniri posse mihi persuaserim. Conferamus igitur locum Cyropaediae, quo Assyriorum rex totum exercitum ad fortitudinem cohortatur, cum fine orationis Xenophonteae post mortem ducum Graecorum ad Zapatam flumen habitae (Cyr. III, 3, 44—45; Anab. III, 2, 39); est enim haec utriusque loci partium descriptio:

Omnes necesse est fortes se praestent (*δεῖ ἄνδρας ἀγαθοὺς εἶναι* Cyr.; *μεμνήσθω ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι* Anab.), quia

I. pro feminis liberis propinquis pugnandum est:

Cyr.	Anab.
νῦν γὰρ ὑπὲρ ψυχῶν τῶν ὑμετέρων ἀγὼν καὶ ὑπὲρ γῆς, ἐν ᾗ ἔφυτε, καὶ οἴκων, ἐν οἷς ἐτράφητε, καὶ ὑπὲρ γυναικῶν τε καὶ τέκνων καὶ περὶ πάντων ὧν πέπασθε ἀγαθῶν.	*ὅστις ὑμῶν τοὺς οἰκείους ἐπιθυμεῖ ἰδεῖν, μεμνήσθω ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι.*
νικήσαντες μὲν γὰρ ἁπάντων	*οὐ γὰρ ἔστιν ἄλλως τούτου*

τούτων ὑμεῖς ὥσπερ πρόσθεν κύριοι ἔσεσθε· εἰ δ' ἡττηθήσεσθε, εὖ ἴστε, ὅτι παραδώσετε ταῦτα πάντα τοῖς πολεμίοις.	τυχεῖν.

II. Ei, qui vitam servare studet, vincendum est (*πειράσθω νικᾶν* Anab.; *νίκης ἐρῶντες μένοντες μάχεσθε* Cyr.); nam „mors et fugacem persequitur virum“.

Cyr.	Anab.
μωρὸν γὰρ τὸ κρατεῖν βουλομένους τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα καὶ ἄχειρα ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας· μωρὸς δὲ καὶ εἴ τις ζῆν βουλόμενος φεύγειν ἐπιχειροίη, εἰδὼς ὅτι οἱ μὲν νικῶντες σῴζονται, οἱ δὲ φεύγοντες ἀποθνήσκουσι μᾶλλον τῶν μενόντων.	*ὅστις τε ζῆν ἐπιθυμεῖ, πειράσθω νικᾶν· τῶν μὲν γὰρ νικώντων τὸ κτείνειν, τῶν δὲ ἡττωμένων τὸ ἀποθνήσκειν ἐστί.*

III. Quisquis opes ac pecunias sibi comparare studet, is ut vincat eniti debet.

Cyr.	Anab.
μωρὸς δὲ καὶ εἴ τις χρημάτων ἐπιθυμῶν ἧτταν προσίεται.	*καὶ εἴ τις δὲ χρημάτων ἐπιθυμεῖ, κρατεῖν πειράσθω.*

Victores enim et sua servant et quaecumque victi possident insuper accipiunt.

Cyr.	Anab.
τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὅτι οἱ μὲν νικῶντες τά τε ἑαυτῶν σῴζουσι καὶ τὰ τῶν ἡττωμένων προσλαμβάνουσιν, οἱ δὲ ἡττώμενοι ἅμα ἑαυτούς τε καὶ τὰ ἑαυτῶν πάντα ἀποβάλλουσιν;	*τῶν γὰρ νικώντων ἐστὶ καὶ τὰ ἑαυτῶν σῴζειν καὶ τὰ τῶν ἡττωμένων λαμβάνειν.*

Et quoniam omnia fere harum paragraphorum enuntiata optime congruere vidisti, tria afferam exempla liceat locorum, quibus non singularia quidem, sed summae tantum dispositionum inter se consentiant. Velut Hipp. IV, 13—20 et Cyr. I, 6, 26—27. 35—37 (paragraphi 28—34 ad educationem Persarum pertinent) simili modo agitur de officiis *φρονίμου ἄρχοντος*. Etenim primum scriptor ducem, ne, nisi superior discessurus videatur esse, manus cum hostibus conserat (Hipp. 13; Cyr. 26), deinde ut ipse utilitatem capiat ex hostium incommodis (*πλεονεξίαι* Hipp. 14—17; Cyr. I, 6, 27. 35—37), denique ut tales *πλεονεξίας* discat feris observandis aut venandis (Hipp. 18—20; Cyr. 38—41) admonet. — Quid? Quomodo dux efficere possit, ut milites in officio permaneant, in Hipparchico atque in Cyrupaedia (Hipp. VI; Cyr. I, 6, 21—25), etiamsi ea pars, quae prior est in Hipparchico, secundum locum obtinet in Cyrupaedia, Xenophon nonne similiter exponit? Duabus enim rationibus (Hipp. VI, 1) milites in obsequio retineri: una, si ducem ipsis prudentiorem esse iudicent rei militaris (*φρονιμώτερον περὶ τοῦ συμφέροντος* Cyr. I, 6, 21—23; *φρονιμώτερον περὶ τῶν πρὸς τοὺς πολεμίους ἀγώνων* Hipp. VI, 1, 4—6), altera, si eum ament (Cyr. 24—25; Hipp. 2—3; *φιλεῖσθαι* Cyr., *φιλικῶς ἔχειν* Hipp.); illud quisquis assequi studeat, et artes bellicas melius ceteris cognovisse debere (Cyr. 23: *ὅσα μὲν ἔστι μαθόντα εἰδέναι, μαθὼν ἂν*; Hipp. 4—5) et deos semper consulere (Cyr. 23; Hipp. 6) et res necessarias semper gerere (Cyr. 23: *ἐπιμελόμενος, ὡς ἂν πραχθείη*; Hipp. 6: *πράττειν, παρασκευάζειν*; horum praeceptorum ordinem mutuatum esse vides); hoc vero nonnisi ei contingere, qui militibus et bene videatur velle (Cyr. 24: *συνήδεσθαι, συνάχθεσθαι*; Hipp. 2: *φιλοφρόνως ἔχειν*) et saluti eorum prospicere (*προνοεῖν* Cyr. 24; Hipp. 2. 3; in Cyri institutione [25] adiungitur duci plures molestias

subeundas esse quam militibus). — Quid vero? Cyrupaediae initium (I, 1—2) et tota res publica Lacedaemoniorum nonne habent, quibus inter se consentiant? Utroque enim loco scriptor postquam prooemii forma (Cyr. I, 1; RL. I, 1—2) sese, quare factum esset, ut Lacedaemonii quamvis pauci plurimum in Graecia valerent, Cyrus quamvis parvae Persarum multitudinis dux dominatu totius Asiae potiretur, aliquando secum meditatum (*ἐννοήσας ποτέ* RL I, 1; *ἔννοιά ποτε* Cyr. I, 1, 1) admiratione captum esse (*θαυμάζειν* Cyr. I, 1, 6; RL. I, 2) Lycurgi aut Cyri exposuit, primum de Cyri natura et genere (Cyr. I, 2, 1), de *τεκνοποιΐᾳ* Lacedaemoniorum (RL. I, 3—10) agit (cf. etiam Ages. I, 2 sqq.: *εὐγένεια*; hoc artis rhetoricae est; cf. Isocr. Busir. 10), deinde de *παιδείᾳ* Persarum et Spartiatarum (Cyr. I, 2, 2 sqq.; RL. II sqq.). Sed quod in Persarum civitate describenda primum summa rei publicae attingitur (Cyr. I, 2, 2—5), hoc quoque, quia, unde Persae *ἄρχονται ἐπιμελόμενοι τοῦ κοινοῦ ἀγαθοῦ* (I, 2, 2), ea re demonstratur, cum primo capite rei publicae Lacedaemoniorum, quippe qui a liberorum procreatione initium sumant communis salutis augendae (RL. I, 3: *ἵνα ἐξ ἀρχῆς ἄρξωμαι*), paululum quidem consentire puto, praesertim cum et Lacedaemoniorum et Persarum rei publicae ceterae civitates opponantur. Cui sententiae sive accedis sive repugnas, reliqua quidem melius inter se congruere non negabis. Exposita enim Lacedaemoniorum *τεκνοποιΐᾳ* et summa rei publicae Persarum primum, quae officia uni cuique aetati (*ἑκάστῃ ἡλικίᾳ* Cyr. I, 2, 5; RL. V, 1) legis scriptores imposuerint (Cyr. I, 2, 5—14; RL. II—IV), tum qualis universa gentium nostrarum res publica sit (Cyr. I, 2, 15: *πᾶσα ἡ Περσῶν πολιτεία*; RL. V—X; V, 1: *πᾶσι*), post quae maiorum instituta etiam Xenophontis temporibus durent[15]) demonstratur (Cyr. I, 2, 16; RL. XIV—XV). Nam quod in re publica Lacedae-

moniorum tertio de Spartiatarum rei militaris scientia agitur (XI—XIII), in Cyrupaedia hoc omittitur, nemo est qui miretur: tota enim Cyri institutione bellica Persarum virtus describitur.

Quamquam quid ex multis variisque locis testimonia repetimus, quibus Xenophontem saepe eadem dispositione uti comprobemus, cum non solum in Agesilao atque in Cyrupaediae epilogo, sed etiam aliis locis quadripertitam distributionem eum usurpare ex summis virtutibus expressam ex multis neque incertis exemplis pateat? Videsne, ut ille in educatione Persarum exponenda primum de iustitia (Cyr. I, 2, 6—7), tum de moderatione obsequio legum continentia (8), post de virtute bellica exercenda (*τοξεύειν καὶ ἀκοντίζειν* 8) agat? (de *εὐσεβείᾳ* cf. p. 15 huius quaestionis.) Videsne, ut, quo loco enarret, quem ad modum Cyrus ut Persae tales se praeberent, quales eos esse opporteret, consuluerit (Cyr. VIII, 1, 23—39), primum pietatem (23—25), deinde iustitiam (26), tum pudorem obsequium legum temperantiam constantiam (27—33), postremo venationem belli meditationem (34—39 = *ἀνδρεία*) commemoret? Videsne, ut Cyrus tota Asia expugnata suos primum, ut dis, quippe qui imperium sibi dederint, grates agant (Cyr. VII, 5, 72 = *εὐσέβεια*), deinde ne victorum bona occupare dubitent (73 = *δικαιοσύνη*), tum ne quis continentiam (74—78 = *ἐγκράτεια*) neve virtutem bellicam (79 = *ἀνδρεία*) desinat exercere admoneat, ut Socrates in colloquiis Euthydemi et Hippiae (Mem. IV, 3—5) primum de deorum cultu (3), tum de iustitia (4), denique de temperantia disserat (5)? Quid vero? Quinque partes, ut ita dicam, *ἐγκρατείας* a Xenophonte discerni (quod ad cibum potumque, somnum, aestus et frigora, labores, Venerem attinet) nonne ex aliis locis eodem modo cognoscimus atque ex Agesilao sive Cyrupaediae epilogo? (cf. Mem. II, 1, 1—6).

Et quoniam tanto numero testimoniorum Xenophontem saepe partium distributionem non solum eandem usurpare, sed etiam exprimere e quattuor summis virtutibus illustravi, novo et gravi argumento fulcitur sententia eorum, qui sive extremum Cyrupaediae caput sive laudationem Agesilai germana esse contendant. Quibus exemplis prolatis admonere non desisto, quae supra iam commemoravi, me neque omnia testimonia congessisse et hoc capite res perstringendas tantum mihi proposuisse; neque igitur mirabor, si quis brevi aut plura atque meliora testimonia proferet aut ex meis exemplis nonnulla, quae omiserim, insuper concludi posse demonstrabit. Sed quod ad cetera argumenta attinet, quibus viri docti de epilogo Cyropaediae contenderunt — de hoc agimus, laudationem Agesilai germanam esse ultro demonstravimus — haec neglegere mihi liceat[16]). Hoc unum vero praeterire nequeo ex altero huius disputationis capite, quo Cyri institutioni bellum Graecorum contra Persas subesse demonstravi, optime intellegi, quare Xenophon ut epilogum narrationi adiungeret commotus sit. Qui cum, si Persarum regno summis laudibus celebrato narrationem conclusisset, vereri debuerit, ne Graeci a bello Persis inferendo deterrerentur, ultimo capite pristinam Persarum morum severitatem ac belli peritiam ipsius aetate corruptas esse exposuit.

CONCLVSIO

Haec habui quae de Cyri institutione dicerem; sed ut, priusquam haec quaestio concludatur, quas rationes Xenophontem secutum esse in libro edendo demonstraverim,

memoria complectamur, ante omnia eorum sententiam me damnare professus sum, qui scriptorem veram Cyri historiam narrare censerent; contra Xenophontem id potius egisse, ut fabulam quam nominamus Romanensem conscriberet, Cyri historia quasi veste usum, qua omnia, quaecumque ad Graecos docendos melioresque faciendos conferre posse sibi videretur, velaret; quam ob rem eum, ut optimam quam putabat formam civitatis describeret, Persis suis non solum permulta Lacedaemoniorum instituta attribuisse, sed etiam disciplina simili Socratis eos erudiri narravisse. Sed cum ex hoc Xenophontis docendi studio non omnes, quae in Cyri institutione extant, verae historiae mutationes intellegeremus, Xenophontem id quoque spectavisse collegimus, ut qua ratione Graeci Persas devincere possent demonstraret. Deinde et magna pugna inter Cyrum Croesumque commissa et aliis exemplis illustrare studui, quomodo Xenophon sua ipsius vita atque expeditionibus usus sit ad Cyrupaediae narrationes fingendas. Tum, ne hoc quidem neglegendum ratus ei, qui quaestionem institueret de fabula ficta, utrum scriptori propositum bene successerit necne, quid cum de totius Cyri institutionis arte atque opere, tum de Pantheae amore et morte sentirem exposui. Denique cum animum intenderemus in extremum Cyrupaediae caput, et hunc epilogum et Agesilai laudationem germanas esse novo argumento comprobavimus.

Quam rerum tractationem ubi perlegisti quamquam vereor, ne multa uberius aequo me exposuisse, plura me plane omisisse exprobres, tamen, quia etiam praeter decantatas de Cyrupaedia sententias aliquid novi me attulisse puto, non deesse confido, quae tibi probentur. Sed quod materiam quaestio plane superare non potuit, hoc mirandum non esse existimo; nam quia auctoris ingenium ac natura

multo plus e fabula ficta elucet quam ex historia vera aut disputatione, quaestioni de Cyri institutione satis bene respondere, hoc est probabilem disputationem de Xenophontis arte atque ingenio conscribere, quod adhuc nemini, quantum video, plane successit; sed si quis id agit, ut Xenophontis vitam ac naturam in universum tractet, huic censeo proficiscendum esse de Cyri institutione.

ADNOTATIONES

1)

Apud Xenophontem, quippe qui multo plus studii atque operae navaret ad disciplinam ac mores populi quam ad leges consilia magistratus cognoscendos, omnia quaecumque ad ius publicum quod nominamus pertinent, obscura sunt atque abstrusa. Qua re etiam evenit, ut animo fingere non possimus, qualis hic Persarum senatus sit, utrum omnes viri aetate provectiores senatores sint an parvus tantum numerus ex iis eligi soleat.

2)

His in rebus exponendis usus sum *Naumanni* dissertatione de re publica Lacedaemoniorum instituta, Berol. 1876, p. 52—59.

3)

Xenophon et in optima civitatis forma exprimenda nonnulla instituta ex germanorum Persarum moribus sibi assumpsit et alias quasdam res in fabula tales narrat, quales re vera fuisse scimus. Videsne, ut etiam Xenophontis Persae nasturtio vescantur (Cyr. I, 2, 8), ut multa eorum instituta ille commemoret, quae sua aetate nondum conciderint? Huc spectat, quod rex aquila aurea signo utitur (Cyr. VII, 1, 4; Anab. I, 10, 12), omnium Persarum pueri ad aulam regiam educantur (Cyr. VII, 5, 86; VIII, 6, 10; VIII, 8, 13; Anab. I, 9, 3—4), equi freno aureo instructi, amillae, torques a rege dono dantur (Cyr. VIII, 2, 8; Anab. I, 2, 27), rex Persarum tiara erecta ornatus est (Cyr. VIII, 3, 13; Anab. II, 5, 23), Soli equi immolantur (Cyr. VIII, 3, 12; Anab. IV, 5, 35), Persae a prima pueritia et dominari discunt et magistratibus obtemperare (Anab. I, 9, 4; Cyr. passim), curribus falcatis instructi sunt (Cyr. VI, 1, 30 etc.; Anab. I, 8, 10. De *Linckei* sententia cf. adn. 15). Quid vero? Quod Gobryas Cyri partes sequitur, quod Cyrus, postquam sacerdotes

nobilesque Babyloniorum ad eum defecerunt, Babylone potitur, has res similiter gestas esse ac Xenophon narrat nonne ex inscriptionibus viginti fere ante annos inventis cognovimus? Quid ergo? Xenophon veram historiam memoriae tradere studuit? Historiam conscribere noluit, sed talibus rebus eum impulsum esse consentaneum est, ut de constantia et abstinentia Persarum ageret, ut ad Cyrum Babyloniorum socios deficientes faceret pariter atque ad Agesilaum Persas Asiae Minoris, ut fabulam ita sibi fingeret ut nunc legimus. Atque hoc loco ne illud quidem praeterire possum *ἐλευθέραν ἀγοράν*, qualem Persae habebant, secundum Aristotelem apud Thessalos re vera extitisse; Xenophon igitur in optima civitate describenda etiam ab aliis gentibus praeter Lacedaemonios mores legesque mutuatus videtur esse.

4)

Nonnulli viri docti Xenophontem in Cyrupaedia conscribenda id maxime demonstrandum sibi proposuisse contendunt, quomodo unius viri virtutibus vel maximum regnum optime gubernaretur, ita ut octavo libro quasi cumulo ac fastigio totius operis singulare imperium optimam civitatis formam esse exponeretur. Minime hercle! At cum regnum Persarum omnibus Graecis admirabili quodam splendore ac magnificentia exornatum esse videretur, auctor ea re, quod a Cyro hoc regnum conditum esse narravit, nihil spectavit, nisi ut illo summis laudibus elato apto totum opus exitu finiret. Tantum vero abest, ut Xenophon Persarum regnum optimam civitatis formam esse contenderit, ut in octavo Cyrupaediae libro ea Persarum instituta laudaverit, quae quin re vera vituperaverit atque odio persecutus sit vix dubitari potest. Ne plura afferam, auctor Cyr. VIII, 6, 22 Cyrum ideo feliciter vivere dicit, quod in verno tepore semper versaretur, quam rem Ages. IX, 5 aperte improbat (cf. adn. 5).

5)

Hic quaerat quispiam, cur Xenophon, nisi has res admiratus sit, eas in republica Lacedaemoniorum laudet. At hoc ea re evenisse puto, quam viros doctos, ubi utrum libellus quivis Xenophonti attribuendus sit necne disputandum est, prosus neglegere video: quod rhetores illius aetatis, ubi virum vel civitatem laudibus efferendos sibi proposuerunt, vituperationi nihil loci esse censent (cf. Isocr. Busir. 1—9). Ne plura afferam, quod regis Persarum mos, ut frigora aestusque fugiat, modo Babylone, modo Susis, modo Ecbatanis vivendi laudatur in Cyropaedia

(VIII, 6, 22), in Agesilao (IX, 5) ludibrio habetur, ex hoc laudationem Agesilai falsario tribuendam esse minime colligere licet.

6)

Xenophontem in Cyri institutione bellum Persarum describere, quale Agesilaum gerere potuisse putabat, etiam ea re confirmatur, quod Cyri Maioris indolem magnam partem e moribus Agesilai expressit. cf.:

Weil, Zur Beurteilung des Xenophon, Zeitschrift für die Altertumswissenschaft 1848 p. 143.

E. Schwartz, Fünf Vorträge über den griechischen Roman, Berlin 1896, p. 45—57.

In hoc libro fundamentum iactum esse, quo nitatur tota quaestio mea de bello Graecorum cum Persis gerendo, grato animo confiteor.

7)

Hanc pugnam ut cum proelio Cunaxensi conferrem *Evaldo Bruhn* quod primus me adduxit gratiam debeo.

8)

Inspicias quaeso imaginem pugnae lineolis descriptam, quam quaestioni apposui. Qua ex tabula, quamquam et quem locum Aegypti obtinuerint et alia permulta obscura esse minime me fugit, tamen ea, quae necessaria sunt ad quaestionem meam intellegendam, perspici posse puto.

9)

Quod aciem Persarum in duodecim militum altitudinem collocatam esse censeo, me ab editoribus dissentire haud ignoro. Etenim cum id quod est *εἰς δύο ἔχοντας τὸν λόχον* (Cyr. VI, 3, 21) significare possit aut „in altitudinem" aut „in latitudinem" duorum militum, editores illam interpretationem accipiunt. Quam sententiam quattuor argumentis comprobare aut student aut studere possunt, quae proferre et statim refellere liceat:

I. Cum omnes Assyrii in altitudinem triginta militum (Cyr. VI, 3, 19) collocati essent, Persae, quamquam ipsi, si in altitudinem duodecim militum gravem armaturam posuissent, cum levi armatura altitudinem triginta sex militum obtinuissent, hanc altitudinem parvam esse censent. At

in altitudine phalangis exponenda numquam levis armatura respicitur, ita ut et Assyriorum equites tantum atque hoplitas in triginta virorum altitudinem collocatos fuisse putem, cum levis armatura aut a lateribus aut e curribus ante aciem pugnaret (Cyr. VII, 1, 30; cf. VI, 1, 28), et in Persarum altitudine colligenda gravis tantum armaturae rationem haberi; quae sententia ea re fulcitur, quod legati Persarum suam altitudinem minorem esse censent, priusquam Cyrus se levem armaturam post hoplitas collocaturum esse dicit (Cyr. VI, 3, 22).

II. Postquam VI, 3, 21 Xenophon vocibus *εἰς δύο* usus est, mox (22) sequitur *εἰς τοσούτους* pro eo quod est: „in tantam altitudinem", ita ut etiam *εἰς δύο* de altitudine dici videatur. Quasi vero voce *εἰς* modo hac modo illa notione uti Xenophonti non licuerit!

III. Levis armatura super gravem tela mittit, quod nisi perpaucis tantum militibus ante peltastas collocatis fieri non potuit. At iaculatores et sagittarios etiam super currus falcatos hostes Xenophon facit petentes.

IV. Cyrus ipse nil prodesse dicit aciem positam in altitudinem maiorem, quam ut omnes milites armis hostes petere possent. At quod haec exponit, veram sententiam veritus, ne milites terrore percellerentur, celare studet. Ipse enim Cyrus (VI, 4, 18) vim aciei in protrudendo, *ἐν τῷ ὠθεῖν*, positam esse non ignorat. Accedit, quod Xenophon etiam ceterorum librorum locis aciem non satis altam facile impetu perrumpi (Anab. IV, 8, 11), altitudinem duodecim militum minorem esse prae altitudine quinquaginta virorum (Hell. VI, 4, 12) aperte pronuntiat. —

Quoniam igitur qua ratione argumenta editorum refutari possent exposui, vide, quibus testimoniis mea sententia comprobetur:

I. Exercitum in altitudinem duorum militum collocari per se ineptum est credere. Puto unum quemque imperatorem Graecum, si exercitui in altitudinem triginta militum instituto aciem duos viros altam oppositam esse legisset, cachinnaturum fuisse. Quid? Triginta militum aciem duas longas hoplitarum series nonne prima incursione proculcare posse sentis? Quid? Ipsius Xenophontis aetate Epaminondam sinistro cornu suo in altitudinem quinquaginta militum collocato phalangem Lacedaemoniorum vicisse nonne omnes Graeci cognoverant (Hell. VI, 4, 12)?

II. Accurate quaeso inspicias locum, de quo agimus (VI, 3, 21). Cur post id quod est: „*καθίστασθαι εἰς δύο ἔχοντας ἕκαστον τὸν λόχον*" auctorem adiunxisse putas: „*ὁ δὲ λόχος ἦν ἕκαστος εἴκοσι τέτταρες*", nisi ut lector ex latitudine ac numero lochitarum altitudinem aciei

colligere posset? An tu, si εἰς δύο significaret „in altitudinem duorum militum“ hoc enuntiatum desiderares? Minime hercle!

III. Cum tota Assyriorum acies circiter decem milia militum lata sit, Persarum phalangem circiter quinque milium militum latam esse debere apparet. Sed si Persae in altitudinem duorum hoplitarum collocati essent, longitudo exercitus eorum, quantum equidem colligere possum, circiter viginti quinque milium militum esset, sin meam sententiam accipis, quattuor milium ducentorum viginti quinque militum. Sed huic argumento, quia numeris Xenophontis omnino non confidendum esse supra demonstravi (p. 40—42), non ita multum tribuendum est.

10)

Qua in ratione subducenda spatium quadraginta stadiorum Aelianum secutus octo milia trecentos viginti milites obtinere, equiti spatio altero tanto latiore quam pediti opus esse, Lydorum eorumque sociorum praeter Aegyptios totidem equites esse quot pedites posui; quam ob rem quamquam hanc rationem haud ita accuratam esse sentio, tamen licet decem vel viginti milia demas licet addas, ea, quae supra exposui, non labefiunt.

11)

Accedit, quod numerum hostium, qui primo in proelio ducentorum sexaginta milium militum fuit (Cyr. II, 1, 6), nostra in pugna multo maiorem esse tota ex narratione apparet.

12)

Xenophontem maiorem militum numerum non satis perspicue animo fingere posse etiam ex eo apparet, quod Medorum atque Hyrcaniorum equites, quamquam multitudo eorum non minus undecim milium militum est, eodem modo ad Cyrum facit progredientes (Cyr. IV, 4, 2) ac si non plus mille milites essent. Sed quod ex illis Babylonios insectatis ne unus quidem cecidit, sed hostes ad tantam vaecordiam processerunt, ut nemo eorum resistere auderet, istud ne minimam quidem veritatis speciem prae se ferre puto. Quae qui legerit, cui non in mentem veniat nuntiorum istorum a Russorum ducibus in Chersoneso Taurica bellum gerentibus saepius in urbes Europae perlatorum maximis in proeliis nonnisi unum illorum equitum, quos „Kosacken“ nominant, mortem pro patria occubuisse?

13)

Universum vero Xenophontis praeceptum, ut dux hostes circumeuntes ipse circumeat, ne minimae quidem utilitati esse mihi persuasi, si hostes mature animadvertunt equites post castra collocatos. Nam Babylonii qui dextrum Persarum cornu adoriebantur, si Cyri pugnandi rationem imitati partem suorum progredi iussissent, partem ad Cyrum observandum retinuissent, quia numero multo superiores erant, quin victoriam reportaturi fuerint, dubitari non potest.

14)

Ei, qui fidum coniugum amorem semper celebraret, minime comprobari sententiam eorum, qui omnes mulieres virorum omnium coniuges esse vellent, vix est quod moneam; sed quid Xenophon in universum censuerit de auctoritate sexus muliebris augenda, quam rem multis illius aetatis viris aut rerum civilium aut philosophiae peritis cordi fuisse constat, hoc disputare alienum est a consilio quaestionis meae. cf. *Ivo Bruns*, Vorträge und Aufsätze, p. 182—193.

15)

Caput XIV libri de re publica Lacedaemoniorum et ab ipso Xenophonte et una cum reliqua RL scriptum et suo loco traditum esse puto. (Cf. etiam *Köhler*, Über die *πολιτεία Λακεδαιμονίων* Xenophons, Sitzungsberichte der Berliner Akademie 1896 p. 364—367.) Etenim Xenophon, quippe qui institutis cuiuslibet gentis descriptis saepius, qui mores usque ad sua ipsius tempora integri remansissent, adiungeret (Cyr. III, 2, 24; IV, 3, 23; VII, 1, 45—49; VII, 5, 70; VIII, 1, 6—7; cf. *Linckei* tabulam, qui tales locos Xenophonti falso abiudicat: Philologus 60, N. F. 14, 1901; p. 553), quotienscumque in Lacedaemoniorum rempublicam animum intendebat, facere non poterat, quin pristinam eorum iustitiam et probitatem interiisse, duravisse regiam potestatem (RL. XV, 1: *μόνη αὕτη ἀρχὴ διατελεῖ οἵαπερ ἐξ ἀρχῆς κατεστάθη*) concederet. Sed quia pessima haud dubie laudationis conclusio fuisset, si eos, quos laudibus efferendos sibi proposuisset, vehementer vituperasset, primum illud, tum hoc exposuit.

Neque vero, quamquam denuo quaestionem movere de capite XIV rei publicae Lacedaemoniorum prorsus alienum est a consilio disputationis nostri, hoc loco illud praeterire possum primam huius capitis paragraphum viros doctos, quantum video, non recte explanare. Etenim

enuntiatum *τοῦτο οὐκ ἂν ἔτι θρασέως εἴποιμι* plerique sic interpretandum esse censent: *πρότερον μὲν τοῦτο θρασέως εἶπον, νῦν δ' οὐκ ἂν ἔτι θρασέως εἴποιμι.* Minime hercle! Sed scriptor, qui omnia, quaecumque supra commemoravit, instituta libere et audacter laudavit, non eadem audacia de stabilitate legum Lycurgi sese agere posse profitetur: *τὰ μὲν ἔμπροσθεν θρασέως εἶπον, τοῦτο δ' οὐκ ἂν ἔτι θρασέως εἴποιμι* (nostra lingua: „Das Vorausgehende habe ich zuversichtlich behauptet; das aber kann ich nicht mehr zuversichtlich behaupten"). Huius usus vocis *οὐκέτι* non solum apud Xenophontem, sed etiam apud alios scriptores multa testimonia reperiet quisquis diligenter quaesiverit. Similem autem in errorem ac viri docti, qui RL XIV, 1 interpretati sunt, incidit *Güthlingius* Agesilai editor: Tantum enim abest, ut Ages. II, 26 verba *Μαύσωλος οὐκέτι δείσας, ἀλλὰ πεισθεὶς ἀπέπλευσεν οἴκαδε* Mausolum antea Agesilaum timuisse, tunc vero metum deposuisse significent, ut illum non aeque atque eos, qui paulo ante commemorati sunt (Autophradates et Cotys), timore, ut ab obsidione discederet, adductum esse interpretari debeamus: *Οἱ μὲν ἄλλοι δείσαντες ἔφυγον, Μαύσωλος δ' οὐκέτι δείσας, ἀλλὰ πεισθεὶς ἀπέπλευσεν οἴκαδε.* Quae cum ita sint, quid est, quod, ut caput XIV rei publicae Lacedaemoniorum recte intellegamus, ad talia confugiamus ad qualia *Köhler* (l. c. p. 367): „Das *ἔτι* des Nachsatzes ist als, allerdings unlogisch, aus dem Vordersatze wiederholt zu fassen".

16)

Epilogus utrum, ut *Eichlerus* vult, aliquot annis post Cyropaediae adiectus an statim cum reliquis capitibus conscriptus sit, pro certo diiudicare nondum audeo, quamquam hanc sententiam probabiliorem esse crediderim.

VITA

Natus sum Guilelmus Prinz a. d. VI. Kal. April. 1884 in urbe Offenbach ad Moenum sita patre Iohanne matre Augusta e gente Baer, quos superstites esse valde gaudeo; fidei addictus sum evangelicae. Sed cum e ludo primaeque pueritiae disciplinis una cum parentibus Francofurtum essem profectus, gymnasium frequentavi Goethi nomine appellatum auspiciis Reinhardti, quem grata memoria omnes quos docuit semper culturos esse nemo negabit. Unde maturitatis testimonio instructus, ut studiis mathematicis physicis philologicis me dederem, Gottingam me contuli, quo ex oppido usque ad ver anni 1907 non discessi. Tum studiis non sponte plus annum intermissis postquam autumno anni 1908 examen superavi, quod omnes, qui in scholis publicis pueros docere student, subire necesse est, vere anni 1909 ad artem educandi discendam receptus sum in seminarium regium copulatum cum gymnasio Francofurtensi, cui Goethi nomen indiderunt. Cuius seminarii sodales quasi fraterna vincula etiam nunc coniungunt, praesertim cum eadem omnes teneat admiratio Evaldi Bruhn, qui vir doctissimus constantissimus artis educandi peritissimus seminario nostro praeerat; maiorem autem quam ceteri Evaldo Bruhn gratiam debeo, quod iam dudum studiis meis benevolentissime faverat. Deinde vere anni 1910 candidati probandi nomine a magistratibus in urbem Homburg ad Limitem sitam missus sum ad pueros erudiendos.

Docuerunt me viri doctissimi Gottingenses:

Philologi: Leo, Rabbow, Ed. Schwartz, Wackernagel.

Mathematici physicique: Abraham, Blumenthal, Brendel, Carathéodory, Herglotz, Hilbert, Klein, Minkowski, Riecke, Schilling, Schwarzschild, Voigt, Zermelo.

Viri aliarum disciplinarum intelligentes: Baumann, Bousset, Goedeckemeyer, Husserl, G. E. Müller, Reichenbach, Rhumbler.

Seminarii philologorum per duo semestria, mathematicorum physicorumque per septem semestria sodalis fui. Societatis quoque physicae Francofurtensis professores Déguisne et Wachsmuth diutius audivi.

Quibus omnibus gratiam habeo maximam. Plurimum vero debeo Ed. Schwartzio, quippe qui, et cum Gottingae versaretur et postquam Friburgium se contulit, non solum huic opusculo non mediocriter faverit, sed etiam dux adiutorque mihi esse numquam desierit viam ingresso ad litterarum studia exercenda non tam utilem quam difficilem.

Tabula magnae pugnae inter Cyrum Croesumque commissae

